




DE SANGUINE
CARVINUS










IOAN. CARVINI

MEDICI MONTIS ALBANI, DE SANGVINE, DIALOGI VII.

Ad prudentißimum Senatus Tolosani Præsidem, D. Antonium à Paulo.

Nunc recèns editi.

CVM INDICE COPIOSISSIMO.



LVGDVNI, APVD HAERED. SEB. GRYPHII.
1562.



PRVDENTISSIMO *ATQVE INCORRVPTIS-ſimo Senatus Tholoſatis Præſidi D. Antonio à Paulo, Ioannes Caruinus medicus*

S.



SINGVLARIS illa erga literatos omnes tua tum humanitas, tum beneuolentia, præſes æquiſsime, præcipuam ſanè ſcribendi, necnon dialogos iſtos tuæ celſitudini dicandi, occaſionem dedit. Nam, quoties in mentem venit, ampliſsima modíſque omnibus ſuſpicienda magnificentia, qua Baiulium medicum nobiſcum mortalibus adhuc degentem, ob prætermiſſorum ab interpretibus Galeni opuſculum ſummis nõ modò præmiis, verumetiam honoribus decoraſti, facilè mihi perſuaſi, pari te beneuolentia affectum iri erga eos omnes, quicunque tuæ celſitudini literario quodam munere gratificari ſtudebunt. Quod equidem, ſuperioribus annis modico volumine tibi donato expertus ſum, in quo nimirum vniuerſa portenta cometæ caudati, qui 4. Idus Martias anni 1556. in 8. ferè gradu libræ ſuſpectus, velociſsimè ad aquilonem feſtinabat, vbi haud procul ab vrſa ſu-

peruenientibus atris nubibus spectari desiit, aperui. Cauda autem ipsius, primùm versus occidentem porrigebatur, progressu verò tẽporis ad meridiem vergere cœpit. Et (quod maiore admiratione dignum.) Saturnus, Mercurius, Mars, & Venus in ariete coniuncti, & ex diametro cometæ oppositi, vniuersa quæ à triennio experti sumus mala, prænunciabant. Saturnus quidem cum Mercurio, pestilentiam, callida consilia, turpissimásque proditiones. Mars verò his iunctus, bella cruenta primùm in oriente mouit, Deinde in septentriones, furor, ac rabies planetæ bellici sese conuertit. Accessit Venus, quæ quorumdam nobilium virorum interitum, aut per insidias, aut in ipsa pugna, aut certè dolendam captiuitatem præmonstrauit: vt ipse portentis nondum finem assequutis iudicare potes, & nos priusquam euenirent vaticinati sumus. Mox igitur, vbi opusculum illud tuæ celsitudini (vel te referente) ingratum intellexi, perspecto animi tui candore, maiora tentare ausus sum. Quæ si vel laudem, vel gratiam apud eruditos consequentur, hæc tibi cedo. Si verò, à zoilis carpentur (hoc enim doctissimorum monumentis venisse compertum habemus) tuo patrocinatu fulti, omnium obeliscos facilè delebimus. Nam, Hippocratem, Platonem, Aristotelem, Galenum, Celsum, Auicennam, ceterósque id genus summos duces mihi sequuto, errare aut impossibile, aut certè non turpe fuit. Verùm quæsiueris. Quænam sunt Caruine, quæ tentasti maiora? Dialogi inquam, de sanguine, qui & materiæ dignitate, & styli nouitate (nisi amor suscepti negotij me fallit) gratissimi in lucem prodibunt. Materiæ quidem
præstan

præstantia, quoniam succus naturæ, vitæque nostræ familiarissimus, sanguis est, quo quidem exhausto, ne momento viuere possumus. Nam, & animi, & natiui caloris sedes, iure optimo censetur. Spiritus quoque, quibus facultates nostrorum corporum moderatrices assiduè vtuntur, suísque muniis inculpatè funguntur, ex hoc velut fonte quodam diuino (vti luce clarius indicant lypotimiæ, immoderatas sanguinis vacuationes consequentes) scaturiunt. Vnde profectò nonnullis visum est, animam nihil prorsus quàm sanguinem existere, quibus tamen, Hippocrates & post hunc Aristoteles, refragantur. Generatio præterea, necnon nutritio, hoc vno succo perficiuntur. Quippe, semen instar lactis ex sanguine gignitur (vnde cõsanguineos quod sanguis seminis materiam præbeat dicere consueuimus) aut si mauis, sanguis est in transitu, atque anfractibus vasorum spermaticorum alteratus, & albidior factus, cui tamen iam accessit spiritus ille embrionis formator: totiúsque molis corporeæ dispositor. Qua etiam de caussa, Galenus semen (præsertim virile) in vteros eiaculatum, ibíque conceptum, naturam, non adhuc sperma vocandum censet: quoniam interuentu caloris insiti, sensim elaborat nostræ generationis principia, de quibus ex sententia Hippocratis, nostra corpora ex semine, & sanguine, quibus elementa iam contẽperata insunt: gigni demonstrans, copiosè disseruit. Nutritionem porrò, huius accessu & adsimulatione perfici, nullus est rationalium medicorum, qui perspecta vi hepatis sanguifica: græcis scriptoribus cõuenientissimo nomine αἱμάτοσις dicta non vltro concedat. Huic enim

ſoli viſceri, ſapientiſsimus creator noſter munus ſanguinis è chilo gignendi mandauit, & venas ex gibbis eiuſdem per vniuerſum corpus diſtribuit: vt ſingulæ ipſius particulæ, huius tanquam conuenientis alimenti portionem (haud ſecus profectò quàm magnes ferrum) traherent. Nam, facultatum naturalium nutritio ſcopus eſt. Prima quippe, futurum alimentum trahit, ſecunda retinet, tertia coquit, alterat, & digerit, quarta demum ſuperflua excernit, non alia ſane de cauſſa, niſi vt ſit mens ſana in corpore ſano: ipſaque vita quoad licebit prorogetur. Quippe, ob continuum fluorem noſtræ triplicis ſubſtantiæ immortalitatis priuilegio gaudere non poſſumus, ſed reuera, naſcentes morimur, finíſque ab origine pendet. Ipſa quoque in omnem dimenſionem corporum incrementa, huic vni ſucco debentur, propterea quod (ſi Ariſtoreli creditur) vna, eadémque ſubſtantia, vtpote alimentum, nutrit, & auget, hoc enim, naturæ ſubſtantiæve ſuæ ratione alit: quatenus verò quantum quid eſt, auget corpus quandiu ſcilicet auctile eſt. Cuius rei fidem tibi facient atrophiæ, præſertim hepatis vitiis ſuccedentes. Per has enim, totum corpus manifeſtò tabeſcit, ac minuitur, ob ſolam fruſtratam ſanguinationem, propriam ſcilicet iocinoris actionem, quo malè affecto aut ſanguis parcior, ant non qualem natura deſiderat, gignitur. Vnde icteri, hydropes, præceps ſenecta, viſcerum imbecillitas, deiecta appetentia, tremor, paraliſis, ſpaſmus, ſenſuum grauitas, & omnium facultatum naturalium debiltias, aliáque complura id genus mala, originem ducere conſueuerunt, de quibus copioſius diſſerere non eſt præſen-
tis in

tis instituti, sed ad caussas morborum & medendi methodum peculiariter attinent. Habes clarissime iustissiméque Præses, materiæ nostrorum dialogorum dignitatem, vtilitatem, & ad vitæ custodiam necessitatem, cuius profectò missio non solùm optimam naturam, verumetiam prudentissimum, & exacti iudicij medicum desiderat: quíque oblatam occasionem fronte adhuc capillata arripiat. Hac enim (nam teste Hippocrate præceps admodum existit) prætermissa, tota spes medelæ per id vacuationis genus adempta est. Quum tamen sæpenumero morbi magnitudo aliis præsidiis nõ cedat, qui nimirum hac vna ratione ex non letali, letalis euasit, & ex curabili, incurabilis factus est. Quòd clarissimi nostræ tẽpestatis medici ad impiorum carnificũ, ne dicam imperitorũ medicorum errata corrigẽda tardè vocati, quotidie experimur. Cuius rei gratia, exclamare licet, ô mores, ô deprauata tempora nostra, quibus chopopolis, tõsoribus, renuctoribus, obstetricibus, vetulis, sorditiæ, annis, pãnísque obsitis, lippis, & læuis, homines impunè occidere licet, quos rationalis medicus tempestiuè vocatus, aut secta vena, aut alio præsidio à morte liberaturus erat. Verùm, de his hactenus. Porrò, stili nouitate tibi doctísque omnibus gratiores futuros nostros dialogos, vel hoc potissimùm nomine speramus, quòd nullus Græcorum, vel Pœnorum, vel Arabum, vel Latinorum scriptorum (quem sciam) ante me quicquam de re medica dialogisticè tractauit: quum tamen hoc scribendi genus singulari tum perspicuitate, tum energia ceteris omnibus prępolleat. Quibus etiam de causis, arbitror diuinum illum Platonem

primum fontes totius ſapientiæ dialogis tractare in animum duxiſſe. Cuius ego veſtigia ſequutus, tentare volui, poſſéntne quæ de ſanguine veteribus obſcurè, confuſè, indefinitè, ac imperfectè, poſteritati relicta ſunt, clarius, diſtinctius, limitatius, ac perfectius, Platonico ſtilo diſputari, atque demonſtrari. Hoc enim modo aurea illa mediocritas vacuando ſanguinem religioſè obſeruanda, tandem innoteſcet. Hanc quippe ad vnguem ſeruare, non cuiuis, ſed ſolis quos æquus amauit Iuppiter, conceſſum eſt. Quanta verò neglecta mediocritate miſeris mortalibus accidant incommoda, vitæque diſcrimina: Hinc patere arbitror, quòd exceſſus ſyn copas plerunque letales adferunt, defectus autem, præter hoc quod affectum non tollunt, neque ægros ipſos recreant, vires inſigniter minuunt, ſanationémque difficiliorem reddunt. Accedit, quòd (etiam ſeruato medio) quibuſdam naturis, morbis, temporibus plus, aliis verò minus ſanguinis vacuari conuenit, propterea quòd vna eadémque numero mediocritas omnibus temperamentis, morbis, regionibus, ætatibus, temporibus, anníque conſtitutionibus reſpōdere nequit, ſicut nec idem callopodium omni pedi aptari. Præterea, nec omnes affectus præter naturam actionem lædentes, ſanguinis miſsionem deſiderant: & qui eo indigent, aliam atque aliam venam ſecari poſtulant. Induxi autem perſonas non fictas, ſed honeſtas, & eruditas, adhuc nobiſcum vitam incolumem degentes, quò fides certior noſtris colloquiis haberetur. Adieci quoque libros autorum, quibus quæ in medium adducimus paſsim tractantur, partim, ne cui videar hæc mihi

temerè

temerè arrogare, perinde ac ſi domi meæ nuper nata forēt (quamquam plurima offendes veteribus nondum diſcuſſa, vtpote quos multa latuerunt quæ vſu quotidiano celebrantur) partim vt quæ deficiebant, ſupplerentur, & publicis commodis expoſita, maiorem gratiam apud candidos lectores conſequerentur. Quod vt contingat, Deum opt. max. obſecro, cuius profectò ſolius gratia fretus, hoc nouum de re medica diſputandi genus (in quo quem imitarer habui neminem) tentare, necnon dialogos multis ſanè vigiliis, atque laboribus perpeſsis tandem abſolutos, ſub tuo nomine vulgare non formidaui.

Accipe igitur clariſsime Præſes, qua tibi fronte damus has noſtri ingenij primitias, maiora ſperans, ſi vitam longiorem fata conceſſerunt.

Vale.

*

Datum Montis Albani quarto Idus Iunias, 1558.

HONORATIS VIRIS D. IOAN. FORNERIO iuris vtriusque peritissimo summóque astrologo & D. Petro Gautero, artis seplasiariæ rara cognitione prædito, Ioan. Caruinus medicus S.



VIBVS de caussis hoc nouum de re medica scribendi genus selegerim, necnon dialogos de sanguine in lucem edere primus ten tarim, epistola superiore clarissimo, incorruptissimóque Præsidi demonstraui. Qua de re, viri integerrimi, totiúsque literaturæ melioris amantissimi has repetere vt vobis molestum, ita mihi ridiculum foret. Nunc ergo, paucis explicabo quibus rationibus adductus, personarum vestrarum doctis colloquiis familiariter: ac meo quasi iure vsus sum. Iam enim à multis annis obseruaui, perniciosissimum errorem fere per totam Europam grassari, quo plerique omnes ludificati, mathematicarum disciplinarum peritiam medico aut prorsus inutilem: aut sanè parum necessariam (quas tamen Hippocrates, Plato et Galenus studiosissimè coluerũt)

arbi

arbitrantur. Vnde (proh dolor) hac miseranda temporum tempestate, vix millesimus quisq; his præclaris, summéq; necessariis artibus operā nauare dignatur. Verū, barba prælonga, pulchréq; comata, & moschato suffitu odora, mula phalerata, vestiū cultus ornatior, annulati digiti, ad factionē artis Apollineæ quibusdā æsopicis corniculis, & purpuratis simiis satis esse creduntur. Quarum dementiā, ac impudentiā Galenus acerrimè persequutus est. Iacobus etiā Siluius præceptor meus longè doctißimus, summos iudices & apud Franciscum Galliarū Regem summa autoritate præstantes, nempe D. Poietum Cancellariū, D. Io. Morinū criminum censorem D. Io. Lysetum senatus parrisiensis primum Præsidem, non modo vt taliū nebulonum temeritatem reprimerēt orauit: sed etiam sæpißimè obsecrauit. Quod vtiq; facturi erant, nisi mors præmatura illos posteritati inuidisset. Quum ergo, hunc fœdißimum errorē non solum minuere, imo (fauente deo) penitus è medio tollere istis meis dialogis statuerim: nulla profectò tua mihi aptior ô Forneri persona excogitari, aut in medium adduci potuit, cui sillogismos, argumentáq; mea super hac re, communia facerem. Nam, à teneris annis fœlicißimè in mathematicis versatus, optimè, ac dudum nosti, quàm non solùm in mittendo sanguine: verumetiam propinandis pharmacis, necessaria sit cœlestis sciētia. Quā si omnes medicinæ factores pro dignitate colerent, longè profectò
melius

melius cum ciuitatibus, totaq; hominũ societate ageretur: neq; diutius nebulonibus, ac sycophãtis occidẽdi impunitas cõcederetur, Tuã verò mi Gautere, personã induxi, perspectis in te dotibus quas Hippocrates, & Galenus non in solo medico: verumetiã seplasiario (nam olim idem erat) desiderãt. Nempe, naturã perspicacẽ, & veritatis studiosam, ingeniũ fœlix, memoriam fidelẽ, corpus integrum: & laboris patientissimum, facultates mediocres, optimos à teneris annis præceptores, quos quũ domi non haberes, fere per vniuersam Europam multis itinerum molestiis perpessis, quæsiuisti: & post longas peregrinationes, tandẽ in patriam reuersus: & non vulgari eruditione præditus, operam tuam ciuibus cõmunem facere cœpisti. Quàm verò fœliciter, quantóque successu, non solus ipse: sed etiam mecũ indicare possunt excellentissimi, ac prudentissimi huius ciuitatis medici, Michael Vicosius: & D. Geruasius Maquinonus, quos vtique spero his meis lucubrationibus congratulaturos, præsertim, quum nullius odio (deum testem ac iudicem imploro) sed publicæ duntaxat vtilitatis gratia, hos dialogos in lucem edere constituerim. Qui si doctis placebunt, & futuris medicis proderũt: susceptis laboribus abundè factum satis arbitrabor. Valete.

Ex nostro Monte Albano
tertio Idus Iunias,
1 5 5 8.

Io.

IOAN. CARVINVS MEDICVS CANDIDO LECTORI S.

Æquora vasta nouis quur iam sulcare carinis,
Primus tentarim, candide lector habe.
Grata sit, li nouitas, communis gratior vsus,
Compulit insuetæ pandere vela rati.
Quæ mihi per scopulos, syrtes, sæuámque caribdim,
Artis Apollineæ dogmata tuta vehat.
Vnde nonas Phœbi cultor mittendi sanguinis omnes
Accipiat caussas, & bene doctus agat.
Naturæq; ducis vestigia certa sequutus,
Occurrat morbis quos cruor iste parit.
Hic siquidem nimium postquam sua vasa tetendit,
Ni ventiletur, putris obesse solet:
Affectúsque graues vitæ discrimine certo
Gignit, prudenter ni cito missus erit.
Nam calor obsessus, nimióque cruore grauatus:
Promptiùs obruitur, mórsque inopina venit,
Est modus interea, mensuráque iusta tenenda:
Ne vulgus clamet te necis esse reum.
Sunt etiam morbi vitiato sanguine nati,
Sectio queîs venæ certa medela fuit.
Sunt qui reiiciunt, & pharmaca debita poscunt
Multum discordes, consimilésque parum.
Idem etiam affectus mutato tempore, vtrumque
Et venam sectam, & pharmaca iusta petit.
Ergo dum variis morborum agitata procellis
Corpora tractabis, carbasa nostra pete.

Nam

Nam neque naufragium, tempestatésque malignas,
Ventos, aut scopulos, vlláve monstra timent:
Sed plenis velis te per maria omnia cautum
Portus optatos, & loca tuta vehent.
Ac quibus in morbis sanguis mittendus, & vnde,
Quóque modo, quando, qua regione simul:
Pluráque præterea medico spectanda docebunt,
Hæc tibi picta nouo carbasa nostra stylo.
Viue precor fœlix, melius si fortè quid adsit,
Candidus imperti, lector amice, vale.

Autores in Dialogis citati.

Moſes.
Dauid.
Hippocrates.
Galenus.
Plato.
Ariſtoteles.
Ptolemæus.
Ioan. Pontanus.
Hermes Triſmegiſtus.
Alphonſus.
Alchabitius.
Aſclotarion.
Auicenna.
Meſues.
Aetius.
Paulus Aegineta.
Actuarius.
Auenrois.
Auenzoar.
Cornelius Celſus.
Pomponius Mela.
Eraſiſtratus.
Criſippus Gnidius.
Critias.
Empedocles,
Diogenes.
Pithagoras.
Praxagoras.
Platearius.
Diocles,
Orus Apollo.
Heraclides.
Archigenes.
Philotimus.
Porphirius.
Boethius.
Theagenes.
Thraſillus.
Franciſcus Franciſcanus.
Prodicus.
Philinus.
Themiſon.
Stœflerus.
Ioannes de Monteregio.
Guido Cauliacus.
Vergilius.
Iulius Scaliger.
Cardanus.
Ioannes Fernellus.
Fuſchius.
Iacobus Siluius.
Augerius Ferrerius.
Orontius.
Copernicus.
Ciprianus Leonitius.
Ioannes Stadius.
Proclus.
Ioannes de Sacroboſco.

DIALOGORVM SVBIECTA.

DIALOGORVM PERSONAE.

IOANNES FORNERIVS,
PETRVS GAVTERVS,
IOANNES CARVINVS.

IO. CARVINI MEDICI MONTIS ALBANI, DE SANGVINE DIALOGI SEPTEM.

De essentia sanguinis, Dialogus primus.

Personæ.

CARVINVS, GAVTERVS.

CARVINVS.



QVVM in arundineto amœnissimi horti tui ponè fontem animos nostros honestissimis, mutuísque colloquiis solaremur, charissime Gautere, necnon exoticas plantas tua tum industria, tum magno sumptu variis vrbibus, ac prouinciis adlatas contemplaremur, desiderata herba innominata, quá teste Galeno cap. 6. lib. de purg. medica. facul. quisquam in Thracum Bithinide reperit eiusmodi, vt quisquis hanc sibi applicasset, sanguinem mox excerneret, in sermonem mittendi sanguinis incidimus,& multas tum medicorum, tum philosophorum opiniones perstringendo, de sanguine fusiùs tecum tractare (modo per ocium liceret) animum induxi. GAVT. Memini, Caruine. huius nostræ disputationis,& de sanguinis natura, ni grauiora obstitissent negocia, tibi iamdudum multa proposuissem: quídque in tanta controuersia probabilius videretur, sedulò quæsiuissem. Nunc ergo desiderata ocia nacti, cœptos sermones, si placet, copiosè persequere, necnon semper stupendum huius succi genituram in primis ostēde. CAR. Quoniam amicis operam recusare viro bono haud licet, quod petis pro viribus edisserá. GAVT. Agedum. CAR. Homo so

mo solus ad imaginem Dei è terra limosa, ceterísq; elementis sapienter contemperata, iustáque mensura sociata creatus, mundi quamdam ideam proferre videtur. Nam vterque duabus partibus absoluitur. Mundus quidem cœlesti, ac elementari: Homo verò, animo, ac corpore multis sanè calamitatibus obnoxio, quarum vnica medela est diuinæ partis immortalitas, quam nonnulli Epicureorum rationibus dementati, prorsus reiiciunt, & inter se ac beluas nihil quicquam interesse putant: Alij, hanc sempiternis ignibus, idest sideribus acceptam referunt. Ceteri (arabes præsertim, omnium mortalium superstitiosissimi) datori cuidam formarum adscribunt: Ego verò, solius Dei opt. max. summæ bonitati ac magnificentiæ, tantum immortalitatis animi beneficium piè adscribendum censeo. Neque vllo pacto quempiam sanæ mentis eò dementiæ adduci posse credo, vt mortale fateatur quod ex nuda entis sempiterni substantia nulla interueniente corruptibili creatura cœlitus in corpus humanum delapsum est. Taceo interea perpetuos motus, propriásque actiones spirituum, qui si cum corporibus vanescerent, nihil profectò miserius, & à creatoris dignitate remotius nobis mortalibus ipsum vniuersum compræhenderet. Præterea, vt mundum vnum vnicus eiusdem architectus regit, ita corpus vnum vnus moderatur animus variis naturæ dotibus, atque facultatibus præditus, quarum profectò gratia diuersissima organa sapientissimus conditor deus excogitauit. His accedit, quod quemadmodum mundi parte inferiore quatuor elementa suis non modo qualitatibus munita, verumetiam propriis locis pulcherrimè disposita continentur: sic in hominis corpore totidem humores viribus & energia consentientes reperire licet: Bilis enim flaua igni: Sanguis æri, Pituita aquæ, Atra porro bilis telluri consentit. GAVT. Vnde quæso istorum prima pendet origo? CAR. Ex elementis, & inferioris mundi veluti columnis, ac fundamentis: quorum infinita propemodum miscellanea corporum nostrorum temperamenta (vti certe docet Galenus lib. 1. & 2. de temperament.) consurgunt. GAVT. Arbitrabar sanguinem ceteros humores complexum, ex alimẽtorum proba coctione nutriendi, augendíq; corporis gratia gigni. CAR. Ita res est. GAVT. Quo ergo pacto ex elementis istum deriuas, atque producis? CAR. Elementa simplicia sunt corpora, adeóque prima, quibus iustè contemperatis, (nam ad pondus temperari nequeunt) non modò alimenta, verumetiam

medi

medicamenta virium proprietatibus plurimùm dißidētia (teste Galeno cap.1.lib.1.de simpl. med.fac.) generantur. GAVT. Videris mihi duplicia nostrorum corporum elementa statuere, quum tamen summi philosophi horum nomenclatura Ignem, Aerem, Aquam, & Terram, tantùm accipi velint. CAR. Rectè sentis. Nam, illi communia mundi elementa contemplantur: Medici verò, solius corporis humani, quod non modò communibus, sed etiam propriis constat elementis: vti grauiter summus Hippocrates lib. de nat.hu. demonstrauit. GAVT. Quænam sunt hæc? CAR. Quatuor illi humores quos prædictis respondere diximus. Vt enim Ignis calidus siccus, Aer calidus humidus, Aqua frigida humida, Tellus demum frigida sicca, ita Bilis flaua calida sicca, Sanguis calidus humidus, Pituita frigida humida, atra porrò Bilis, frigida sicca. GAVT. Quum humores ab humiditate insita nomina sortiti sint, qua mente nonnullos siccos affirmas? CAR. Effecto, non consistentia tales dicuntur: Quamuis enim, omnes magis aut minus fluxibiles sint & liquidi: non tamen ex æquo partes corporis aut calfaciunt, aut refrigerant, aut humectant, aut siccant, sed qui siccandi facultate præditi sunt, sicci dicuntur: sicuti mel, & quarundam herbarum succos, primo, secundo, tertio, quartóve gradu, siccos dicere consueuimus. GAVT. Quatuor humores non modò naturæ proprietate, sed etiam sensilium qualitatum effectis distinctos nostris corporibus inesse accipio. Verùm, quæ elementa Hippocrati, lib. de natu.hum. vocantur, nondum satis percipio. CAR. Galenus lib.1.de sanit.tuen.& lib.2.tempera. nostræ generationis duo principia, nempe sanguinem menstruum, & semen tum viri, tum mulieris, ex quatuor elementis, & totidem humoribus conflata (proportione tamen inæquali statuit.) Semen autem viri ortum ex cruore ceteros humores complexo, mulieris semine pauco, & aquoso conceptu vtcunque nutritum, & auctum, solidis partibus delineandis, vbi ex sanguine menstruo per venas & arterias cotiledonibus finitas alimentum traxerit, sufficiat: Mox carnosum genus ex eodem sanguine menstruo molitur, quo etiam ad partum vsque fœtus nutritur, & augetur, A partu verò, quod mammarum glandulæ ex sanguine coxerunt. Hinc id interitum vsque, partes corporis omnes sanguine ceteros humores complexo nutriuntur, & quandiu datum est, augentur, vti diuus Hippocrates lib. de nat.fœt. lib.de nat.hu. doctißimè monstrauit. GAVT. Miranda narras. CAR.

Ceteris auditis, noſtráque oratione abſoluta mirari deſines. GAVT. Quænam ſunt hæc quæſo? CAR. Quemadmodum ex iuſta quatuor mundi elementorum temperie, corporum omnium exanguium perfectio immediatè pendet, ita quatuor iſtis humoribus probè contẽperatis, hominis, ceterorúmque animalium ſanguine præditorum non modò ſanitas, ſed ipſa quoque vita conſeruatur. Ex his enim primùm partes ſimilares, organicas tandem conſtituentes generantur: vtriſque verò probè conformatis, atque numero, ordine, menſura, ſitu, connexione decenti, ſibi mutuò copulatis, corpus integrum, necnon ſecundùm naturam habitum in lucem editur, & quoad viſum eſt conditori, vita fruitur. Nam, animus planè cœleſtis, ac diuinus: nihil quicquam mortali corpori commune facit, niſi quòd illud regit, & vſu facultatum, ac ſpirituum, ſuas in eo velut carcere quodam actiones exercet. GAVT. Quum Sanguis calidus, humidus, dulcis, ac ruber (modò ſecundùm naturam habeat) Pituita verò frigida humida, qualitatis expers (vt aqua) Bilis flaua calida, ſicca & amara, Atra porro, frigida, ſicca, acerba & terrea (vti docet Galenus lib. de atra bile) exiſtat: quî poteſt ipſe tot contraria recipere? Tibi namque placet, ex ſanguine ceteros humores complexo, noſtra corpora tum nutriri, tum augeri. CAR. Argutè, ac ſapienter interrogas, rémque non parui ad faciendam medicinam momenti proponis. Quid igitur ipſe cum doctioribus ſentiam, paucis accipe. Contraria immoderatis qualitatibus adhuc prædita, eidem ineſſe haud poſsibile iudicamus: Ad mediocritatem verò redacta, ex antiqua diſcordia nouam concordiam acquirunt: haud ſecus profectò, quàm ſi quiſpiam in tetrapharmaco Galeni, picem, reſinam, ceram, & adipem, mouendi puris gratia commiſta diligentiſsimè cum Celſo lib. 5. de re medica contempletur. Nam, vt iſta toto quaſi genere diſsidentia, commiſcentur, commiſtáque ab inuicem nunquam ſeparaueris: ita quoque mundi elementa in rerum caducarum generationibus contemperantur, fitque diſcordia concors, mirandum profectò ſemper ſapientiſsimi creatoris opus. GAVT. Quum ſanguis venarum quidem craſsior, arteriarum autem ſubtilior, ceteros (vt iam demonſtraſti) ſuccos complectatur, qua tandem ratione maſſa illa ſanguinea potiùs, quàm pituitoſa, aut bilioſa, maioribus noſtris, vetuſtiſsimíſque medicis dicta? CAR. Ab excellentia profectò. Nam, ſuccus noſtræ vitæ familiariſsimus ſanguis eſt. Qua etiam de cauſſa Critias, Empedo-

cles,

cles, Diogenes, animam hunc esse putauerunt, si Aristoteli lib. 1. de anima. & Galeno libro 2. de pla. Hippocr. & Plat. creditur. GAVT. Quibus argumentis persuasi, prisci illi philosophi sanguinem animam esse credebant? CAR. Quoniam illo solo corpora nostra, quoad viuunt, nutriuntur, & in longum, latum, profundúmque augmenta suscipiunt. Præterea, si hunc abundè vacuaueris, mors præ foribus adest. His adde, quòd animalia quibus sanguis copiosior, ac temperatior inest, ceteris viuaciora, vti medicorum principes Hipp. lib. de natu. fœtus. & Gale. lib. de sem. & for. fœtus. validis inuictísque rationibus collegerũt, existunt. Moses quoque dei familiarissimus, quem fortè isti legerant, Leuitici. 17. animam omnis carnis in sanguine constituit. GAVT. Poterátne sanguis purus, ceterísque succis minimè permistus, his naturæ officiis facere satis? CAR. Minimè. GAVT. Quibus ergo de caussis ceteri succi accesserunt? CAR. Vt in mundo maiore vnicum elementum rerum vicissitudines, continuásque generationes seruare nequibat: (non enim natura idem seipsum generare atque corrumpere sinit) sic nec in hominis corpore, quod maiores μικρόκοσμον aptè vocarunt, vnus ille cruor sufficiebat. Mixtis namque corporibus simplex alimentum commodè aptari non poterat, sed simile simili nutriri conuenientius erat. Sunt enim quædam corporum nostrorum particulæ, nempe spermaticæ, pituitoso sanguine vnicè gaudentes. Aliæ verò, vti lien, eundem melancholicum affectant. Ceteræ porrò, biliosum expetunt. Quibus sanè de caussis, prudentissima natura sanguini reliquos humores commiscuit, vt nimirum singulis partibus suum dispensaret alimentum. Habet tamen ista quatuor humorum miscellanea alias non contemnendas vtilitates. Ipsi quippe Pituita sanguini copulata, articulos per motum humectat. Bilis flaua vbi ad intestina defluxerit, sua acrimonia expultricem irritat, & velut in certamen prouocat. Atra porrò, è splene in ventriculum per stomachum venosum regurgitans, propria acerbitate tunicas eius contrahendo, illum non mediocriter roborat: necnon cibos quoad exquisitè ac plenè concocti fuerint, comprehendere cogit. Taceo interim succos istos vnitos multò melius, ac tutius conseruari, quàm si abinuicem separati forent. Nam vt mundi elementa, quamuis contraria, sese mutuò fouent, ita quatuor humores lege naturæ sociati. Phlegmatis namque frigus atque humiditas, flauæ Bilis feruorem, ac siccitatem reprimit. Atra porrò

Bilis iusta proportione sanguini permista, eius tum calorem, tum humorem temperat. Vnde profectò, diuus ille Hippocrates lib. de nat. hum. in horum succorum proba temperie sanitatem consistere, primus iure optimo asseruit. Hac enim sibi cõstante, corpus sanum, omnísque doloris expers, viuit. Vbi verò vnus aut plures istorum vel quãtitate vel qualitate exuperant, aut deficiunt, oriuntur morbi, doloresq; pro varietate caussarum dissidentes, excitantur, quos partium affectarum naturæ variæ, nunc intendunt: nunc remittunt. Cuius etiã rei gratia Gal. lib. 2. facult. nat. humores istos nõ eamdem seruare formã, dum animal præter naturã afficitur, quam habent, vbi secundũ naturam dispositũ est, multis argumentis colligit. Sanguis enim naturalis reliquis humoribus cõmistis dominatur, & simpliciter sanguis dicitur. Sin verò præter naturam affectus fuerit, ipse ab vno, vel pluribus sibi mistis humoribus superatur: & non simpliciter, sed cum adiectione sanguis aut biliosus, aut pituitosus, aut melancholicus, appellatur. GAVT. Experientia tuis rationibus pugnare videtur. Nam, qui lien ex hepate per secundum venæ portæ cauum humorem melancholicum trahat, eiusdem receptaculum esse non iniuria videtur, veluti folliculus fellis ipsius flauę Bilis. CAR. De pituita naturali quid tandem statues? GAVT. Huic nullum prorsus locum naturam destinasse. CAR. Quam ob rem? GAVT. Quoniam in ventriculo generata, simul fertur cum his quæ ex cibi potúsque humoribus in iecur distribuuntur: atque, si Galen. Cõmento. lib. de natu. hu. creditur, necessariam ex prima ciborum mutatione generationẽ obtinet. Venę autem, cum arteriis, ipsius sanguinis conceptacula sunt. Qua de re non modò natura distincti: verumetiam propriis sedibus separati, quatuor isti succi videntur. CAR. Qui venis & arteriis continetur sanguis, non est (vti quispiam putauerit) sincerus, verum, ceteros humores inæquali quidem proportione, iustè tamen mistos complectitur. Qui verò liene, vesica fellis continentur succi, pro excrementis habendi. Quippe, non ideo ex sanguinis massa, segregantur, vt in corpore diutius retineantur: sed quò foras per conuenientia loca propellantur, vti eruditè monstrat Galenus lib. 5. de vsu part. Neque tamen absolutè excrementa velut planè superflua sumi volo. Nam prudentissima natura illis in multos vsus abutitur, quemadmodum superius abundè monstrauimus. Ventriculi namque facultas coctrix suo munere fungens, vtile ab inutili priusquam pylorus reseretur,

tur,& ad inteſtina primæ coctionis craſsiora excrementa delabi permittat,ſollicitè diſcernit,ac ſeparat. Quæ verò in hepate reſidet,vbi per venas meſaraicas(quæ tandem ſimis partibus huius viſceris coeuntes venam portam conſtituunt) chylum vnà cum Pituita naturali ſugit,necnon in eiuſdem ſubſtantiam contraxit,ſanguinem elaborans Bilem flauam ab atra ſegregat, & hanc quidem in ſplenem modico ſanguine commiſtam, per ſecundum venæ portæ cauum,vti dicebamus,tranſmittit,eámque lien trahit:benignéque ſuſcipit. Illam verò,folliculus fellis(qui teſte Galeno lib.4.& 5.de vſu part.eamdem trahit) per deſtinatum meatum recipit. Hæc enim veſicula pars hepatis non eſt, ſed cauis partibus ipſius adfixa,quo redundantem bilem traheret,reciperet, atque per obliquum meatum in ecphiſin mitteret. Ex hac porrò in ieiunum,Ileon,Cœcum, Colon, & rectum inteſtinum delapſa, vnà cum craſsioribus recrementis per ſedem vacuatur. GAVT. Si Bilis flaua naturæ decreto vnà cum alui ſuperfluis excernitur, quo pacto hanc ſanguini permiſtam aſſerebas? CAR. Argutè ac ſcitè profectò ratiocinaris. Verùm quæ ego Galenum lib.3. fac.natu. ſequutus propoſui, non ſatis exactè perpēdiſſe mihi videris. Dum enim flauam Bilem ex iecore à veſica fellis trahi dixi non totam (ſic enim humores ſeparati, ſanguíſque purus in hominis corpore exiſteret) intelligi volui. Nam, in maſſa ſanguinis è chylo nuper cocti, tantùm vtriuſque Bilis continetur,quantum iuſta temperies poſtulabat, Quod verò ſuperfluxit,in ſuum receptaculum tractū eſt Vnde nec tota Bilis flaua in folliculum illum deriuatur, nec ſuccus melancholicus totus aut à liene trahitur, aut ab hepate tranſmittitur,ſed quantum ſpleni nutriendo, aut hepati repurgando ſatis erat.Manent igitur in ſanguine percocto, Bilis tum flaua, tum atra cum Pituita(quum phlegma per antiphraſin à Prodico dictam ſuſpicor,quòd teſte Hippocrate lib.de natu.hum. nec motu violento: nec inſiti caloris energia, immenſa frigiditas coerceri poteſt. GAVT. Quibus de cauſsis, & quomodo ſanguis ceteris humoribus commiſcetur, nunc ſatis ſupérque depræhendo. Quemadmodum enim, ſi terra extremam illam ſiccitatem cum remiſſo frigore perpetuò ſeruaret, nec arbores, nec herbas, nec ſegetes, nec aliud quicquam nobis mortalibus neceſſarium, aut alimentum, aut medicamentum, procrearet.(iſta namque ferè omnia calore humoréque viuunt) ita ſi ſanguis puriſsimus,ceteríſque ſuccis impermiſtus foret,ne mo

mento quidem temporis vita vitalis consisteret. CAR. Plurimùm (vt video) nostris colloquiis promouimus, & scopum geniture sanguinis ferè attigimus. GAVT. An aliquid superest, quod, ad huius succi generationem pernoscendam conducat? CAR. Ita sanè. GAVT. Adiice quæso. CAR. Ratio,& experimentum, Gautere, præcipua faciendæ fidei instrumenta duo sunt, quibus fretus demonstrabo, Bilem flauam vesicula fellis contentam, atram quoque à liene receptam, pituitam etiam è cerebro,hibernis potissimum mensibus defluentem,redundare: vt bona posteritas his nostris dialogis adiuta cõgratuletur.Qua enim de caussa, conditor sapientissimus organa quibus hæc cõmodè,& assiduè quasi vacuarentur,fabricasset, si nostræ naturæ, ac vitæ conseruandæ vtilia forent? Plures namque sunt meatus, quibus cerebrum nõ sola hac pituita, seu veriùs mucco, sed etiã fuliginosis excrementis repurgatur, si modo Galenum iudicem audire velimus, lib. 4.de vsu part. Ipse enim fuligini similia recrementa cerebri, per suturarum commissuras insensiliter nobísque nihil hac in actione naturæ percipientibus, transpirare contendit.Illa verò aquosa,limosa,pituitosa, crassáque, iam per ossa ethmoidea,instárque cribri perforata:nunc per nares,chranam,foramina palati,& subiectum adena educta:sensui manifestam præbent cognoscendæ veritatis occasionem.Accedit, quòd hæc ipsa vbi subiectis partibus incubuerunt, grauissimos tum morbos,tũ dolores excitant. Præsertim Bilis flaua quæ nisi tempestiuè per meatus, quos græci πόρος χοληδόχος vocant, vacuetur, ô bone Deus quantam morborum sobolem gignit? Corporis enim natiuum colorem vitiat, flauos icteros, febres continuas, & ardentes,phrenitides, alia quoque complura morborum monstra excitat: quorum contemplatio alterius est negocij. Porrò, nisi splen humore melancholico velut sarcina quadam grauatus, maturè subleuetur, nigros icteros, mœrorem, metúmque diuturnum absque caussa manifesta, quartanas, atq; desipientias cum studio, teste Hippocrate Apho.22.sect.3.Apho. 23. & 53. secti. 6. Apho. 41. secti 7. periculosas parit. Nam,succus iste vbi ex Bile flaua in vitellinam primum conuersa,deinde superassata generatur: furiosissimus euadit, necnon huiusmodi desipientias procreat. Alter verò,qui nimirum ex sanguinis fæce oritur,crassioris quidem essentiæ, sed multo mitior,adeóque naturalis existit. Nec enim terram radit attollit, & fermentat, nec ampullas quales feruentibus iusculis supernatare videmus,

excitat.

excitat. GAVT. Duas mihi atræ Bilis species ortu atque effecto dissidentes statuere videris. CAR. Rectè tu quidem. Nam, quæ terræ superinfusa eam radit, attollit, fermentat, necnon ampullas excitat atra Bilis, eáque non naturalis vocatur. Quæ verò instar fæcis sanguinis viníque fæcibus parum dissimilis existit, melancholicus succus propriè Galeno lib. 3. loc. affect. cap. 5. dicitur: cuius etiam iudicio non rectè atra Bilis appellari potest. Tametsi medici Comment. apho. 53. secti. 6. lib. de atra bile, nominibus abutentes, humorem melancholicum interdum atram Bilem vocare consueuerint: propterea quòd nisi citò vacuetur, paulò pòst atra Bilis futura est. Neq; tantùm huius succi, verumetiam, teste Gale. lib. 3. loc. affect. ca. 5. Pituitæ, ac Bilis non naturalis, variæ comperiuntur species. Pituitæ (inquit ille) vnum genus est, quod quotidie vel screando, vel vomendo, vel emungendo, educitur, vaporoso, scilicet spiritu plenum, vt ne sensum quidē lateat ipsum esse dissimilare. Alia verò Pituita similaris quidem videtur, licet fortasse non sit, qualis est crudus humor in vrinis subsidens, tum is qui à Praxagora vitreus appellatur. Atq; ex hoc genere videtur esse saliua, quæ nec admodum fluida, nec aquosa existit. Verùm, saliua non vnica duntaxat qualitate sensum afficit, nedum vniuersa Pituita. Sæpenumero etenim tum acrem, tum acidam, tum salsam in ore saliuam manifestè deprehendimus. Veluti qui sani degimus, nulla qualitate infecta, sed perinde quasi aquosa saliua gustui offerunt. Quibus verbis colligitur, præter naturalem Pituitam frigidam humidámq; : necnon qualitatis gustatilis expertem, quatuor eiusdem non naturalis species constituendas. Nempe vitream, dulcem, acidam, salsam, de quibus verba fecit Galen. capi. 6. lib. 2. de different. febriū. Bilis porrò nō naturalis species, quinque maioribus nostris obseruatæ sunt. Vna vitellina, ab oui vitelli similitudine dicta quæ in venis teste Galen. lib. de atra bile, 2. Prog. comment. 39. generatur. Altera porracea à porri colore nuncupata, quæ eodem autore in ventriculo gignitur. Tertia æruginosa, ibidem nata. Quarta porrò, ἰσατώδης, quod isatidis speciem præferet, nuncupatur, cōment. lib. dē nat. hu. & eodem quo æruginosa loco gignitur. Quinta demùm atque postrema species, cærulea vocatur, cuius etiam Galenus lib. 10. facult. simpl. medic. cap. 4. naturam minimè silentio præteriit. GAVT. An non etiam sanguinis cuius genituram colloquendo quærimus, variæ multæque species? CAR. Duæ, si Galeni Commen. lib. de nat. hu.

autoritatem recipimus. Aut enim purus ac sincerus, aut sanè reliquis succis contemperatus est. Si autem purus, naturæ operibus inutilis est, vtpote ex quo nec semen gigni, nec fœtus ipse formari potest. Sin reliquis probè mistis, qualem in venæ sectione, ac vulneribus quotidie intueri licet, operibus naturæ perficiendis accommodatissimus est. Nam ex eo & semen vtrumq; bellè generatur, & fœtus aptissimè componitur. GAVT. Quatuor humores probè iustéque sociatos, necnon secundum naturam habitos, nostram tum vitam, tum sanitatem tueri, assequor. Verùm, vnus mihi restat scrupulus, qui me malè habet. CAR. Hunc quæso demonstra. GAVT. Qua de caussa, sapientissima natura quatuor succis ritè commistis, serosum quoddam recrementum, nec nutriendo, nec augendo corpori, (propter aquosam, qua pollet, substantiam) idoneum adiecit? Nam, hoc nisi sudoribus, vrinis, aut hidrogogis medicamentis citò vacuetur, hydropem ascitem promptissimè generat. CAR. Vrges Gautere, ac rem summè controuersam, instár que labirinthi perplexam, in medium adducis: quam equidem pro ingenij viribus explicare conabor, tametsi nemo Græcorum, aut Arabum scriptorum, huius caussam satis expresserit. Hoc igitur recrementum, seu aquosam superfluitatem Galenus lib. 5. de vsu part. τὸ ὖρον, hoc est, vrinam esse contendit, quam renes iugiter per venas & arterias emulgentes trahunt: tractam duplici sinu percolant, & per meatus quos Græci οὐρητῆρας nuncupant, vnà cum portione Bilis quæ dictis venis, & arteriis continebatur, in vesicam transmittunt. Ipsi verò sanguinem humidiorem sugunt, qui in carnem eorum regurgitans, (nam crassior est quàm qui cum bile ac seroso recremento transcolari possit) vaporis modo disseminatur, dispergitur, apponitur, vnitur, nutrimentúmq; illis efficitur. Vnde, Galen. aquosa super fluitate renes ali, quòd nimirum seroso gaudent sanguine, affirmare nō veretur. Quòd autem duo renes facti sunt minore vesica maiores, maiore verò minores, suscipiendi recrementi, quantitas caussa fuit. Nam folliculus fellis solam Bilem flauam trahit, eámque paucam, quæ nec diutius per sanitatem retinetur. Renes verò, & hanc & serosum excrementum plurimum, quæ simul percolata in vesicam his multò capaciorem transmittuntur ibíque retinentur, donec vrgente necessitate sphincter eius orificium claudens relaxetur. GAVT. Satis clarè docuisti, excrementum istud serosum à renibus per venas, atque arterias emulgentes medicis dictas,

vnà cum portione Belis flauæ, trahi. Verùm, quam nostris corporibus vtilitatem adferat, nondum expressisti. Si namque aquosa hæc superfluitas (vti Galeno placet) vrina est, profectò nutriendo corpori penitus inutilis censenda venit, vtpote quum hac vel guttatim stillãte, vel difficulter, atque cum dolore meatum nerui fistulosi permeante, vel etiam penitus suppressa, grauissimi excitentur morbi. Præterea, medicorum communi consensu, istud sanguinis serum excrementum vocatur. Vbi ergo est prima eius generatio, & quotæ coctionis est superfluum? Accedit, quòd in quauis corporis particula etiam minima aquosa ista superfluitas reperitur. Si igitur est vrina, profectò capiti, linguæ, brachiis, cruribus, manibus, pedibúsque, vrinam inesse fatendum. Vbicunque enim venam secueris, sanguis modica huius excrementi portione comitatus, (vti luce clarius demonstrat experientia, in his potissimùm corporibus quę morbis agitata venæ sectionem desiderant) prodibit. CAR. Dij boni, quò tandem sanguinis essentiam, ac definitionem sollicitè vestigantes, deuenimus. Nam (vt ingenuè verùm fatear) nisi summi medici, Hippoc. lib. de alimen. & Galenus initio lib. 4. de vsu part. vrinam ὄχημα τῆς τροφῆς, hoc est vehiculum alimenti nuncupassent, tuis doctissimis rationibus me ancipitem reddideras: & istud opus naturæ quasi superfluum conuiceras. Verùm, quum totius corporis alimentum sit sanguis, ceteros humores complexus, qui ab vniuersis partibus sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsúmque, trahitur: quia tamen consistentiam habet crassiorem, per exilia vasa commodè, ac promptè, permeare nequit. Cuius rei gratia, conditor noster Deus, qui nihil aut temere, aut frustra facere consueuit: hoc serosum recrementum excogitauit, & sanguini velut aptissimum per totum corpus nutritionis gratia vehiculum, fabricauit. Quod quidem suo numere perfunctum, (sanguine nimirum iam actu nutriente) quibus viis, atque ductibus ad partes alendas tractum, sanguinem vexerat, iisdem prorsus ad venæ cauæ primos truncos reuertitur, & à renibus (vt rectè sentit Galenus) per emulgentes trahitur. Vnde, modica bile commistum, per meatus vrinarios mira naturæ prouidentia tamdem in vesicam deriuatur, ibíque retinetur, quoad expultum illa facultas irritata, per colis meatum foras illud propellat. Neque silentio prætereundum, quòd priusquam transcolaretur, vehiculum alimenti vniuersis particulis distribuendi, existebat. Vbi verò nutrione

consum

consummata inutile factum est, in vesicam receptum vrinæ nomen, atque naturam propriè, atque peculiariter assumit: vnáque cum variis aliis excrementis per penem expellitur, vt grauissimè, & verissimè testatur Galenus lib. de affectus rerum dignot. GAVT. Si hoc serum cruoris, priusquam lotium fiat, totum corpus permeat, in ipso reditu secum plurimas tum morbi, tum sanitatis notas, mihi assumere videtur. CAR. Ita est Gautere. Atque hæc vna præcipuáque semper fuit inspiciendarum vrinarum caussa, quam peritiores medici agnoscentes, & caussam morbi, & partem affectam tenent, atque arte, non casu quodam, ægros pristinæ valetudini restituunt. Quamobrem, nequeo satis mirari stupiditatem, atque inertiam eorum qui vrinarum iudicia, vt vana & fallacia repudiant, quæ tamen medicorum principes Hippocrates, & Galenus, secundum pulsus, ac sensiles motus cordis, & arteriarum primo loco habuerunt. Nam bonus ille senex Hippocrates, suo iure posteris medicis imperans, ita scriptum reliquit, Apho. 64. lib. 7. Quæ per vesicam excernuntur, medico sunt inspicienda: si nimirum talia fuerint, qualia per sanitatem excerni consueuerant. Rursus Apho. 76. lib. 7. Qualia fuerint vesicæ, aut alij excrementa, quantúmque corpus à naturali constitutione recesserit, considerandum. Si namque recessus exiguus fuerit, talis & morbus: si maior, affectum maiorem significat, si verò maximus, mortem prænunciat. Huc pertinent aphorismi (Apho. 76. 77. 79. 91. lib. 4.) quibus affectus renum, scabies, calculus, & hulcus vesicæ, per vrinas significantur. Quid? quod bonus ille, sapiénsque senex, libris præsagiorum cuncta signa vel salutis, vel mortis, signa inquam, ab alui excrementis, & vrinis desumpta, ordine conuenientissimo scribere neutiquam est grauatus. Quẽ sanè laborem nunquam subiisset, si hanc de iudicij vrinarum vanitate opinionem mente concepisset. Galenus quoque, vir nedum in medicina, sed etiam omnibus bonis, honestísque disciplinis excellentissimus: sexcentis à morte Hippocratis iam elapsis annis, hæc theoremata (vt cetera solet omnia) fusissimè tractare, & lucidè explicare animum induxit, non alia (me hercle) de causa, nisi quod vrinarum iudicia futuris medicis prorsus necessaria cognoscebat, vti scripta ipsius passim testantur. Nam lib. 1. cris. cap. 7. 11. 12. 14. de morbis thoracis è sputis, seu expuitionibus iudicandum censet, de affectibus imi ventris ex alui deiectionibus: de his porrò qui in genere venoso, & partibus

quas

quas vrina priusquam excernatur permeat, nempe renibus, vreteribus, vesica, pene, consistunt, ex vrinis iudicat. Vnde etiã signa coctionis, aut cruditatis in morbis (præsertim acutis) deprehendere docet, aliáque permulta futuris crisibus pernoscendis necessaria, quæ breuitatis gratia ad præsens omitto, contentus indicasse locos vbi studiosus lector hæc (dum volet) contemplari possit. In primis namque, circa finem libelli de vniuersalibus morborum temporibus, vrinam salubrem à mortali certis notis separat. Præterea, libro secundo de differentiis febrium, omnes istos affectus præter naturam, præcipuè ex pulsibus, & vrinis distinguit. Adde, si lubet, secundum criseωn, vbi inter cetera, hoc vnum attentissimè notandum futuris medicis scriptum reliquit. Siquidem ego (inquit) millies quum dum crises fierent, adessem, neminem vidi vnquam intereuntem, qui præcedentibus coctionibus crisin habuisset. Non tamen æqua omnium signorum dignitas existimanda est, sed in morbis quidem thoracis, ac pulmonis, præcipuè sputa sunt animaduertenda, non tamen vrinarum contemplatio negligenda, quin & excrementa sunt inspicienda. Si verò, tantùm febricitent, sine alicuius visceris passione, vel inflammatione hepatis, vel renum, vel vesicæ, vel splenis, maximè vrinis oportet animum adhibere: sicuti si circa ventriculum passio sit, primùm excrementis alui, deinde neque vrinæ sunt negligẽdæ. Semper enim quum febris adfuerit, vel ex sola humorum putredine accensa, vel ex membro inflammationem patiente, præcipuè vrinas inspiciendas censeo. hæc ille. Vnde patet, eos qui vrinarum iudicia damnant, atque parui pendunt, totius medicinæ fundamẽta prorsus euertere. Verùm his omissis, institutũ nostrum persequamur. Habes ergo Gautere, huius serosi recremẽti vtilitatem haud sanè contemnendam. Nunc, ceteris quæstionibus tuis (ne vllus relinquatur scrupulus) facere satis conabor. Hoc ergo serum sanguinis, primæ coctionis excrementum statuimus. Tametsi Actuarius Ioannis Zachariæ filius, autor certè haud contemnendus, lib. de differ. vrinar. ca. 5. dissentiat. Hic enim, quatuor alimenti coctiones, primam quidem in ventriculo, secundam in venis mesaraicis, & septem insignioribus venæ portæ ramis, vnà cum simis hepatis, tertiam in gibbis eiusdem visceris, quartam porrò, in reliquis totius corporis partibus ponit, vbi etiam agglutinationem fieri rectè pronunciat. Galenus verò, lib. de digno. aff. renum, lib. de fac. natu. lib. 4. de

sanit.

sanit.tuend.lib.1.de sanit.tuen.tres duntaxat,vnam in ventriculo,alteram in tota hepatis substantia, tertiam & postremam in ceteris partibus qualescunque tandem fuerint, recipit. Nam, quæ ore fit mastichatio, coctionis nomen non meretur. Errasse autem hac in parte Actuarium, experientia ipsa testatur. Vult enim, primæ coctionis excrementa esse, quæ vomuntur, aut in ventrem descendunt. Secundæ verò, humores alterius speciei, hoc est nutriendo corpori ineptos,superflua constituit. Tertiæ porrò,vrinā,& quæ eius subsistentia continentur. Quartæ demùm, quæ visibili transpiratione vanescunt. Quum enim quæ vomuntur, varia sint admodum,quorū pleraq; ab aliis partibus in ventriculū transmittuntur:nonnulla ipsius cauitate, aut intempestiua victus ratione coaceruantur,aut alio modo generantur:quo pacto obsecro,ista primæ coctionis excrementa iure dixerit quispiam? Quum enim(teste Hippocrate lib.de nat.hu.) interdum Pituita,nōnunquam Bilis alterutra, quandoq; etiam Sanguis ipse vomitu reiiciatur:nunquid ista dictæ coctionis superflua ob id quispiam affirmare audebit? Constat etiam lienem,atque vesicam fellis,non è ventriculo,sed hepate Bilem alterutram trahere. Cuius rei gratia,Bilis tum flaua,tum atra,cuiusdam alterius coctionis excrementa statuenda sunt. GAVT. Eius igitur est ordo tum coctionum, tum generationis excrementorum? CAR. Primùm,quæ ore sumpta sunt à ventriculo per œsophagum trahuntur,neque suo pondere(vt nonnullis visum est,delabuntur, tracta continentur, donec facultas coctrix beneficio caloris insiti chylum gignendi sanguinis materiam, elaborauerit:& vtile è superfluo discreuerit. Tum enim, relaxato, & aperto pilωro, crassiora excrementa, stercora medicis vocata, partim suo pondere: partim vi tractrice intestinorum ad sedem vsque paulatim, ac sensim labuntur, expellenda, quando naturæ ex vsu fuerit. Ne verò, sua tum siccitate: tum natura terrestri, interiorem tunicam intestinorum carnosam admodum raderent, aut hulcerarent: sapientissimus ille Deus portionem Pituitæ dulcis commiscuit, quæ simul cum eisdem per anum vacuaretur. Chylus autem, cum reliquo phlegmate naturali sursum in iecur trahitur, vbi vi sanguinatiua alteratus, sanguis, ac totius corporis humani pabulum, efficitur. GAVT. Vrina quò tandem trahitur? aut qua de caussa, non simul cum alui deiectionibus vacuatur, si huius primæ coctionis recrementum statuitur? CAR. Doctè profectò ratioci-
naris,

naris, & quod probabile est, in medium adducis. Verùm sapientissima illa natura hanc ad maiores vsus sursum vnà cum chylo trahi voluit, nec vel minimæ parti suum deesset alimentum. Iecore autem suo munere fungente, rursus vtilia à superfluis separantur. Quam ob rem, vt primæ coctionis excrementum geminum habetur, hoc quidem crassius, quod stercus vocatur: Illud verò tenuius atque subtilius, quod vrina dicitur, ita profectò secundę, cuius quidem crassius, atra Bilis, tenuius verò superfluum, flaua constituitur. Postrema quoque totidem obtinet. Nam, fuliginosa insensiliter transpirantia, subtilia sunt: quæ verò sordes cuti adhęrescunt, crassiora iure habentur: quorum etiam vacuandorum gratia, summus opifex, corporum nostrorum cutim externam porosam esse voluit, ne perpetuò ægrotaremus. Hac quippe densata, ac stipata: morbos gigni, testis est Gale. lib. 1. de differ. feb. cap. 5. Neque pro absurdo haberi debet, si quauis ex parte corporis secta vena, istud serũ vnà cum sanguine prorumpit. Nam in ceteris particulis est vrina nondum percolata, verùm alimento adhuc sociata. In vesica verò, quæ habetur, iam est à sanguine secreta: necnon tum flauę Bili, tum variis contentis permista. GAVT. Sanguinis naturalis essentia planè, ac perspicuè demonstrata, præter eius definitionem nihil mihi reliquum esse videtur, CAR. Ex nostris dialogismis eam perficito, sic enim rem & nouã, & posteritati gratissimam feceris, propterea quòd varij tum Philosophi, tum Medici, varia de huius natura senserunt: paucíque admodum reperiantur hac in parte consentientes. GAVT. Quamquam de re tam seria quicquam definire, mei non sit muneris, tuis tamen rationibus vltro, citróque collatis, altioréque mente repositis, colligo, sanguinem naturalem succum esse, iustam Bilis vtriusque, necnon Pituitæ mensuram complexum: à chylo, vi sanguifica per totam hepatis substantiam, nutriendi, augendíq; corporis gratia, generatum. CAR. Bonas horas pomeridianas bene collocauimus, & in hoc suauissimo hortulo tuo satis, supérque de sanguinis essentia disputauimus. Quare de cœna philosophica nobis cogitandum: qua sumpta, peractísque Deo immortali gratiis, si plura de sanguine audire cupies, licebit.



De ſanguinis diſtributione, Dialogus II.

Perſonæ.

GAVTERVS, CARVINVS.

GAVTERVS.



T Naturam ſanguinis ceteros humores complexi, horis iſtis pomeridianis ratione, & experimento fultus, accuratiſsimè demonſtratam ſuis finibus coarctaſti, Caruine, ita nunc ſumptà cœna, peractiſque Deo immortali gratiis, niſi moleſtum fuerit, eiuſdem in omnes particulas ſtupendam naturæ diſpenſationem oſtende. Nam & bona lucis portio priuſquam Sol geminos peragrans ſub noſtrum horizonta deſcenderit, reliqua eſt, & coniuuæ hanc ex te audire percupiunt. CAR. Quemadmodum Magnes ferrum, & ſuccinum paleas, tota naturæ proprietate ſoli Deo cognita, & cœleſti, non elementari facultate, ad ſeſe trahunt: ſic, corporis partes omnes ſanguinem ſugunt. Verum enimuero, quoniam iſtud opus creatoris, inter cetera mirandum, & iuſtis de cauſsis ſtupendum, de ipſo non obiter, neque velut per tranſennam, ſed copiosè: & à primis fundamentis (quando vobis ita placet) edisſeram. Ex iecoris ergo ſubſtantia, duæ magna oriuntur venæ, vna quidem, ex ſimis eius partibus, omnes meſaręi venas excipiens: quæ (teſte Galeno 4.5.16. lib. de vſu part. & lib. de diſſect. vena.) è ventriculo & inteſtinis, chylum tranſmittit, & ſurſum ad hepar defert: vnde etiam porta dicta eſt. Altera ex gibbis eiuſdem prodit venarum totius corporis maxima, quæ per illius longitudinem, latitudinem, atque craſsitiem excurrens: elaboratum prius in hepate ſanguinem, diffundit. GAVT. Quibus modis obſecro? CAR. Hæc quam dicebamus vena, mox è gibbis hepatis enata, trũco bifido haud abſimilis, ſurſum ad cor, deorſum verò ad ſpinam reflectitur. Nam ſimilis aquæductui pleno, riuos à ſe quamplurimos habet magnos, ac paruos, in totum corpus diſtributos: Cuius quidem deſcendentis vna propago ad renes, altera ad teſticulos, & partes genitales vtriuſque ſexus, tertia porrò ac crura, tibias, ac pedes vti pluribus locis docet Galenus, lib. 16. de vſu part. lib. de calcu. Verùm,

priuſquam

priuſquam ramum inſignem in vtrumque renem mittat, vicinis partibus dextris, ac ſiniſtris, exiles impertit, quibus mediis renum & hepatis particulis alimentum diſpenſatur. Vbi verò ad lumbos peruenit, iugum vnum in teſtes virorum, & fundos matricum mittit, ſicut arteria magna alterum, fiúntque vaſa ſpermatica quatuor, duæ ſcilicet venæ, cum totidem arteriis. Tandem, vbi maximum illud vas ad os ſacrum deſcendit, alterum iugum partibus inferioribus, alimenti duntaxat gratia impertit, Prius enim ſemen ſolùm defert pudendis, iſtud verò poſterius, nutritionis eorumdem cauſſa conſtitutum eſt. Poſtremo, ad inguina delapſa vena illa caua, duos ramos inſignes, vtrimque vnum efficit, qui per crura diſperſi, multas tum exteriores, tum interiores venas alimenti diſtribuendi gratia, producunt. Verùm, exteriores, ſeu mauis ſuperficiaria, ſubiecta arteria carent: interiores autem, & profundæ, teſte Galeno lib.3.de anato.adminiſtrat. omnes ſibi ſubiectam habent arteriam. Ex his autem inferioribus venæ cauæ inferiora perreptantis propaginibus, infinitæ paruulæ, capillares dictæ (ne vel minutiſsimæ alicui particulæ ſuum deſit nutrimentum) naſcuntur. Nunc, ſanguinis per partes omnes hepate inferiores, diſtributionem habes. Quàm verò prudenter, ac ſapienter deus noſter, partibus ſuperioribus, atque dignioribus, nempe cordi, cerebro, pulmonibus, & aliis prouiderit, nunc paucis accipe. Muſculus quidam, teſte Galeno lib. 5. de vſu part. lib. 5. de loc. aff. cap. 5. eſt ipſius thoracis, rotundus, ac fortis, diſtinguens naturalia organa à ſpiritualibus, quem Græci διάφραγμα, hoc eſt ſeptum tranſuerſum, dicere conſueuerunt. Hunc conditor noſter diſtribuendi ſanguinis gratia, haud procul à gibbis hepatis perforauit: quò truncus alter venæ illius cauæ partes ſuperiores ſcandere, illiſq; alimentum deferre poſſet. Nam, dicta vena caua aſcendens, vbi primùm thoracem ingreſſa, ramum inſignis magnitudinis per quintum pulmonis lobum (qui ipſius velut ſtœbe factus eſt) in dextram cordis auriculam propagat: qui etiam in cor profectus, arterio ſimilem tunicam induit. Qua etiam de cauſſa, vena arterioſa dicitur. Deinde cordis ſubſtãtiam prætergreſſus, tanquam ab initio per maximum, & molliſsimum corporis adena, Græci θυμὸν voant, ad iugulum ſcandit: vbi in duos ramos non paruos ſciſſus, iugulares externas, quibus omnes tum colli, tum capitis partes ſuperficiariæ, teſte Gale. lib.6. de vſu part. comment.lib. 2.de ratio vict.acut,

nutriuntur, producit. Hæ autem quas iam dixi, venæ cauæ aſcendentis maiores ſunt propagines, à quibus multæ minores pullulant. Nam ex primo illo inſigni ramo vtrimque ad ſeptũ tranſuerſum ſtatim vna propago mittitur. Quæ autem Græcis ἄζυγος, hoc eſt ſine pari, ſeu coniugij expers dicitur, ſecunda eiuſdem eſt ſoboles, qua plures coſtæ, & inferior penè thoracis regio nutritur. Ramus autem ille inſignis, quem ad dextram cordis auriculam mitti, & inde eiuſdem ventriculum implantari, dicebamus: vbi prope cor peruenit, venam illam coronalem στεφανιαν Græcis dictam (quod coronæ modo cordis ſuperficiem cingit) eidem nutriendo dicatam ex ſe procreat. Eadem vena caua aſcendens cordis ſubſtantiam prætergreſſa priuſquam in iugulares externas ſcindatur, propaginem aliam vtrimque mittit, quatuor ſuperiores coſtas nutrituram, cui proxima ſobolis alterius propago exiſtit, ſublimiores thoracis partes alens, inde ad manus vtrimque per axillas excurrens, vulgo interna cubiti vena dicitur. Guido Cauliacus baſilicam paſsim vocat. Succedit humeralis dicta vena, ab illa caua iam in iugulares diuiſa originem ducens: necnon vtrimque extra thoracem aſcendens, & per brachia excurrens, cæphalica Guidoni vocata. Eſt & alia propago ab externis iugularibus profecta, iugulares internas, ſeu occultas, & profundas, efficiens: quibus omnes tum colli, tum capitis internæ partes nutriuntur. Eſt præter has vena communis, quam practici medianam appellant, quod ex ramo baſilicæ, & cæphalicæ, ſeu internæ & externæ gibberi venæ ſimul vnitis, confletur. Ceteræ porrò, à cubiti regione in carpum feruntur: ibiq́ue diuaricantur, & in manum vtramque nutritionis, diſtribuendiq́ue ſanguinis gratia, diſſeminantur: vti pulchrè & eruditè Galenus lib.3. de anat. admin. docuit. Taceo interea, capillares infinitas ab his inſignioribus ortas, quòd ſcilicet, neque numero, neque vlla mentis acie, capi poſſunt: etiam ſi diſtribuendo ſanguini non paruam opem adferũt. Iam (ni fallor) admirandam, atque ſtupendam conditoris in diſtributione ſanguinis prudentiam, ſatis, ſupérque, accipitis: hic enim, venam cauam hepati implantauit: necnon ſupernis, ac infernis partibus ita communicauit, vt nullius curam non habuiſſe cognoſcatur. GAVT. Viris fide dignis probatiſque medicis, præter huius venæ mirandam profectò diuaricationẽ, alia quædam ad hanc διάδοσιν deſiderari placet. CAR. Quænam? GAVT. Seorſum illud recrementum, de quo ante cœnam

nam

nam disseruisti, & spiritum naturalem, quo veluti duce alimentum graue, ceterisque humoribus permistum, non solùm ad infimas, verumetiam supremas partes deferatur. Nam, tametsi pars quæuis (instar magnetis) suæ naturæ conueniens alimentum trahat: non tamen è tam longinquo spacio id præstare posse, videtur. Nec enim lapis heraclius plus æquo distans, ferrum, nec succinum paleas multum distantes, traxerit vnquam: etiam si (vt rectè sentis) non elementari, sed cœlesti facultate nitantur. Præterea, si partes corporis alimentũ trahunt: igitur appetunt. Cuius rei gratia singulis particulis appetendi facultatem inesse fatendum: quæ tamen in orificio ventriculi residere peculiariter videtur. CAR. Quod à viris fide dignis, probatisque medicis, te accepisse affirmas, partim recipio, partim suspectum habeo. Nam, quod de sanguinis per venam canam in totum corpus distributione didicisti, verissimum fateor. Præterea, sanguinem istum seu mauis alimentum vehiculo quodam egere, quo per exilia, & minutissima vasa penetret, id quoque ingenuè tibi do, neque sophisticè hac de re contendendum censeo: verùm quod de naturali spiritu in medium adducis, id mihi non exactè probatur: nec pro vero recipitur. GAVT. Si facultas animalis ad sensum, motúmque, vitalis itidem ac caloris insiti communicationem proprio spiritu vtitur: Quæ obsecro, naturalem in alimenti distributione spiritum suum habere, inficias ibimus? Quum enim Galenus 9. Metho. cap. 14. lib. 1. de arte curat. ad Glauconem, tres facultates nostrum corpus dispensantes statuat: totidem quoq; spiritus recipi, consentaneum rationi videtur. CAR. Platoni In Timæo, de triplici anima rectè differenti, hanc de numero facultatum, atque spirituum controuersiam ad præsens relinquamus, & hoc vnum seuerè discutiamus, an videlicet distribuendo sanguini spiritus quidam naturalis, aut opem aliquam, aut necessitatem adferre queat. In hoc enim totius controuersiæ scopus, totúsque cardo voluitur. GAVT. Rem acu tetigisti, & me inter sacrum & saxum præcipitasti. Cuius rei gratia obsecro, vt quid in re tam seria statuendum censes, nobis liberè commonstres. Nam Auicenna, & ceteri arabes medici, pertinaciter adstruunt, sibi quoque persuadent, alimentum non nisi huius spiritus beneficio, per corpus deferri posse: quamuis singulæ partes vi sua tractrice aliquid conferant, & pro viribus sibi diuinitus concessis, trahant. CAR. Spiritus (qui ad sanguinem se habet vt

ad ignem ſcintilla) eſt ſubſtantia aërea, dilucida, ex tenuiſsima ſanguini parte producta, vt à partibus corporis principatum tenentibus, ad ignobiliores virtus deferatur: & proprias actiones edere poſsint. Vnde, luce clariùs conſtare arbitror, naturalem illum ſpiritum vel prorſus inutilem, vel ſanè, parum admodum diſpenſando ſanguini neceſſarium. Cuius rei fidem certiorem ſcripta Galeni circa finem lib. 1. de loc. affect. facere poſſunt. Atque in hac re (inquit) plurimum differunt naturalia ab animalibus inſtrumentis, Siquidem, naturalibus cognatam actionis vim eſſe, animalibus verò inſtrumentis à principio (veluti lumen à ſole, ipſam defluere, iam oſtenſum eſt. Ergo, vt magneti lapidi vis ineſt, qua ferrum attrahere poteſt, ita naturalia quoque inſtrumenta omnia facultatem habent, qua actionem ſuam perficiunt. Quibus ſanè verbis nec iecori, nec venis, ſpiritum naturalem tribuere videtur: præſertim quũ abſque huius influxu cunctis particulis nutrimentum abundè ſuppetat. Accedit, quod idem ipſe Galenus 12. Metho. de ſpiritibus verba faciens ita ſcripſit. Ergo, animalis ſpiritus cerebrum velut fontem eſſe clarè oſtendimus, qui partim ex inſpirando, partim ex eo quod reticularis plexus ſuppeditat, irrigatur, atque alitur. Vitalis ſpiritus non æquè euidens demonſtratio erat: attamen in corde, & arteriis illum contineri, exiſtimare, alienum à ratione non eſt, eundémque nutritum, maximè quidem ex inſpirando, ſed tamen & ex ſanguine. Quod ſi naturalis quoque aliquis ſpiritus eſt, vtique is in venis, & iocinore continebitur. Hæc ille. Vides Gautere, medicorum principem ambiguè admodum de hoc ſpiritu naturali loquutum: nec quicquam certi pronunciare auſum? Neque pro Arabibus facere poteſt, quod idem Galenus lib. 6. de vſu part. venas paucíſsimo ſpiritu, eóque caliginoſo & craſſo participare ſcribit. Hunc enim ſpiritum ab arteriis ſubiectis mutuant, qui alimento craſsiori commiſtus, caliginoſus, parúmque lucidus efficitur, Nec mirari quemquam oportet, ſi tantus vir in re tanta certum quidpiam non definiuit. In primis enim, ſanguis iecoris quum adhuc craſſus, & turbulentus, nec abſolutè repurgatus ſit, huius ſpiritus gignendi apta materia eſſe non poteſt, Qua de cauſſa, ex vitali ſpiritu arteriis hepatis contento, ipſum gigni oporteret: quod rationi maximè diſſonat. Spiritus enim ille vitalis, arteriis non modò hepatis, ſed ceteris vniuerſis contentus, procul dubio in ſiniſtro cordis ventriculo generatur, vnde, per arterias in totum

corpus communicandi caloris natiui gratia, diffunditur. Si ergo, vitalis iste arteriis hepatis comprehensus spiritum naturalem generaret, profectò, magnas, & admodum capaces arterias quæ à corde in iecur transmittuntur, esse oporteret: atque tantam copiam vitalis illius spiritus suppeditare, qui pro naturalis materia sufficere posset. Constat autem, vel ipsomet Galeno teste lib. 4. de vsu part. lib. 6. de anato. administrat. arterias admodum paruas, & exiles simis tantum huius visceris partibus naturam subiecisse: quæ profectò, non tantùm vitalis spiritus, vt ex eo naturalis gigni posſit, deferunt. Accedit, quòd ad spirituum generationem notabili cauitate opus est, quam in hepate (vt cerebro & corde) nusquam reperias. Qua de caussa, spiritus ille naturalis nulla necesſitate vrgente statuendus venit. Præterea, nullos in corpore meatus per quos vbi iam genitus fuerit ad partes ipsius deferatur, reperias. GAVT. Per venas vnà cum sanguine (si arabistis creditur) transit. CAR. Id factu imposſibile. Neque sunt hac in re, vt multis aliis audiendi, qui absque ratione loquentes, asserunt, quæ tueri non possunt. Si enim spiritus iste per venas vnà cum sanguine ad partes alendas deferretur, venæ profectò haud secus, quàm arteriæ pulsarent: ipsis autem nullum penitus pulsum inesse, hactenus experientia docuit. Adde, quòd autore Galeno lib. 6. de vsu part. lib. 7. de anat. administrat. venarum omnium (ea dempta, quæ ex dextro cordis sinu erumpens, in pulmones inseritur) vna propria, rara, necnon tenuis est tunica. Arteriarum verò (ea excepta, quæ ex sinistro cordis ventriculo in pulmones ferant) duplex, vna tenuis, rara, & exterior, altera crasſitiei huius fere quintupla, dura, densaque: ne vitalis ille spiritus facilè exhalet. Si ergo, spiritus naturalis venarum cauitate contineretur, partim essentiæ suæ tenuitate, partim venarum raritate, promptisſimè vanescetet, vt pote leuis, & aëreæ substantiæ existens. Postremò, si spiritum naturalem distributioni sanguinis tantopere necessarium arbitrantur, quo tandem pabulo fouebitur, doceant, obsecro. Quum enim triplex sit nostrorum corporum substantia: vna continens, altera contenta, tertia impetuosa, vt Hippocrati, & Galeno placet: Apho. 18. lib. 6. Epide. cap. 1. lib. 1. de different. febr. primam cibo, alimentóque solidiore, secundam potu, postremam inspirato iugiter aëre nutriri, scimus: Nullam autem viam qua huic naturali spiritui aër asſiduè suppeditent, conditor noster præparauit. Deinde, si iecur citra

huius famulitium, suum principatum, ipsúmque sanguinem, velut conueniens alimentum, cunctis partibus, necnon reliquis duobus principibus membris, cerebro inquam, atque cordi, (quorum essentia, nisi hepar alimentum suppeditaret, seruari non posset) distribuere valeat, iustis profectò de causis hic naturalis spiritus omitti potest, donec validiores rationes in medium adducantur, quibus illum distribuendo sanguini aut vtilem, aut necessarium recipere compellamur. Quas (meo quidem iudicio) si Galenus ad manum habuisset, aut à suis præceptoribus accepisset, profectò non ambiguè, & sub conditione, sed absolutè esse, aut non esse hunc spiritum, pronunciasset. Si verò subtilitatum inuentores medici, rationes argutas & subtiles, quibus meam hanc sententiam reprobare posint, aut in promptu habeant, aut adhibita longiore animi præparatione eandem excogitare queant: hos oro, atque obsecro, vt ad communem omnium mortalium vtilitatem illas tempestiuè in lucem edere non grauentur: Nec enim permittant medicinæ candidatos diutiùs tanta ambiguitate torqueri: Multum enim emolumenti hæc controuersia parata ad medendi rationem adferet, propterea quòd huius (si quis sit) spiritus, ac ceterorum custodiæ medicum rationalem attentum esse oportet: vtpote sine quibus nec vita, nec virium essentia (teste Gale. 12. Metho.) diutiùs consistere queat. Quod autem de appetitu singularum corporis partium proponebas, id omne tibi vltro concedo. Nec enim alimentum traherent, nisi illud appeterent. Verùm, ὄρεξις illa non vna, sed gemina tum philosophis, tum medicis statuitur: nempe naturalis, & animalis, quæ in orificio ventriculi, vti dicebamus, residens, famem ac sitim cum sensu doloris percipit. Ceteræ verò partes corporis omnes, non hanc, sed naturalem duntaxat posident, instárque plantarum conueniens affectant, sugúntque nutrimentum, quòd per venam cauam, eiúsque ramos cum maiores, tum minores, vti demonstrauimus, interueniente serosa humiditate, veluti vehiculo quodam: ad singulas partes defertur, & è venis tractum miranda naturæ prouidentia distribuitur, ac sine vlla spiritus naturalis opera dispensatur. GAVT. Si solis venis sanguis inesset, perspicuè demonstrata ipsius miranda semper distributione, nobis prorsus feceras satis. Verùm, quum arteriis quoque hic succus (teste Galeno lib. 4. de vsu part.) purior, quàm venis concludatur, quid hoc statuendum censes? CAR. Arteriis sanguinem contineri, nullo

nullo iure inficias ire possum: Cuius rei gratia hîc (vt plerisque aliis omnibus) admiranda creatoris sapientia, qui succo vitæ nostræ adeò familiari, duo vasorum genera præparauit. GAVT. Quas ob caussas? CAR. Quoniam simili, sanguine omnes partes nutriri nequibant, sed aliis crassiore, ceteras autem defæcato magis, ali conueniebat, quò nimirum singulis diuinitus prospiceretur: addite (si iubet) natiuum illum calorem nulla ratione, nulláque via commodiore, quàm per arterias cordis substantia (miraculi specie) tandem in corpus dispersas, vnà cum vitali spiritu ex elaboratissimo cruore, nuper in dextro cordis ventre genito, distribui potuisse. Vnde sapientissima natura, & in suis operibus maximè prouida, non solùm ex gibbis hepatis venam cauam produxit, eámque sursum ac deorsum multipliciter diuisit: sed etiam aortam illam è sinistro cordis ventriculo erumpere iussit, ne vel minimæ particulæ aut calor natiuus, aut alimentum deesset. Verùm, noctescit, & sub dio sine valetudinis detrimēto diutius philosophari non possumus: Tubicem quoq; receptui canit: Quam ob rem, quisque in suam donum concedamus, crastina luce de sanguinis missione verba facturi. GAVT. Accipimus conditionem.

De sanguinis missione, Dialogus III.

Personæ.

GAVTERVS, CARVINVS.

GAVTERVS.



INTER varias tum philosophorum, tum medicorum ab hyppocrate lib. de nat. hu. & Gale. lib. de sectis. commemoratas sectas: vnam, quæ venæ sectionem prorsus explodendam contendebat, fuisse accepi: cuius autoribus sanguinis missio pro homicidio habebatur. Quid ergo de huius vacuatione tibi videtur, familiariter expone. CAR. Quoniam rem arduam, summéque controuersam per me tibi explicari desideras, quanta fide, ac diligentia potero, tuæ expectationi facere satis conabor. Omissis itaque variis philosophorum opinionibus, sermonem ad medicos peculiariter vertamus. Horum enim tres præcipuas sectas Galen. lib. de sectis,

constituit. Primam Empiricem, ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας dictam, cuius autor Philinus Cous, qui primus eam à ratiocinali separare ausus est: temerè asserens morborum caussas, nec noscendas, nec studio, animique præparatione indagandas: verùm ea sola in vsum sumenda, quæ vel ipse, vel alij priores aliquando in morbis persanandis experti forent. perinde acsi morborum complicationes non magis ratione, quàm experientia egerent: quamquam neutra negligenda sit, imò potius rationi, quoad fieri potest, connectenda experientia: ne fortè in humani corporis medicatione quicquam temerè peccetur. Secundam methodicen, cuius inuentor Themison Laudiceus, qui ab Asclepiade rationali institutus. defecit, & communitates, quas Græci κοινότητας vocant, neglectis omnibus artificiosis iudicationibus, effinxit. Tertiam rationalem, seu dogmaticam, cuius primus assertor Hippocrates Cous, medicorum, citra controuersiam princeps, qui non modò sanguinis missionem probauit, sed etiam plerisque morbis curandis summè vtilem, ne dicam necessariam (vti scripta ipsius passim testantur) demonstrauit. apho. 68. sec. 5. apho. 22. 31. 36. 47. sec. 6. apho. 47. 49. 54. sect. 7. Quanti verò, Galenus lib. de venæ sect. contra Erasistra. Hippocratis in mittendi sanguinis ratione doctrinam fecerit, abundè testatur historia de famula Margei, quam à partu oris vteri in coxam contorsione & secundarum retentione grauatam, secta malleoli vena, ille bonus senex mortis discrimine liberauit. Quum igitur, tota rationalium medicorum secta, eáque optima (si Galen. lib. de opt. sect. credimus) communi consensu missionem sanguinis probat, & recipit: toto cœlo errare certum est, qui ab operibus artis illam eximit: quandoquidem, & ipsa natura optima cui medicus ministrat, ad hanc sæpius inuitet: sapienter faciens, quod imprudenter neglectum fuerat, vti crises morborum, quibus aut per nares, aut vterum, aut hæmorrhoidas, misso sanguine, propulsatóque morbo, integra valetudo statim reparatur, luce clariùs ostendunt. GAVT. Quisnam obsecro fuit ille adeò temerarius autor, qui tam perniciosum explodendæ venæ sectionis dogma, tanto mortalium detrimento inuehere, non erubuit? CAR. Chrisippus Gnidius, quem nonnulli postea sequuti, apparentibus quidem rationibus, falsis tamen, hanc suam de explodenda venæ sectione ridiculam opinionem tueri conati sunt. Quas si ex me audire cupis, ordine primùm recensebo, dein validis argumentis refutabo. GAVT. Agedum obsecro, vereor enim,

enim, ne error iste vitæ mortalium perniciosissimus, quorumdam titulo tenus medicorum mentibus hodie resideat. Nam, non modò ipsi, verùm etiam ægri (diuites præsertim ac nobiles, qui sese adulationibus palpari sinunt) hanc penitus abhorrent. CAR. Quàm temerè faciant, Galenus ipse 11. metho. docet, cuius verba in medium adferre, visum est. Medici (inquit) adulantes diuitibus, & venæ sectionem dissuadentes, dum putant aliis remediis se venæ sectionem supplere posse in summum discrimen eos adducunt: & quo tempore pauperes personati sunt, diuites illi ac nobiles pessimè habent. Quippe, misso in propositis febribus (de putribus loquitur) inter initia sanguine, non pauperibus modò, verumetiam diuitũ seruis, plurimis quidem quinto, aliquibus septimo, crisis contigit, nemini serius. At diuites, qui & sanguinis copiam: & excrementorum plusquam pauperes, ac serui habent, quum sanguinis mittendi remedium prętermisere, & quotidie oleo calente perfundantur, quum cataplasmatibus laxantibus vtantur, phlegmonem aliquam vel in iocinore, vel ventriculo, vel reliquorum isthic viscerum aliquo, contrahunt. Et alijquidem in quarto, alij in quinto, omnes planè in sexto moriuntur. Hæc Gal. 9. meth. qui alibi idipsum confirmans deplorat inscitiam, & ruditatem quorumdam medicorum, qui non audentes sanguinem mittere, ægros iugulant, & sese in summas ambiguitates præcipitant. Nam, vbi (inquit) abundantia succorum sanguinis missionem postulat, calor autem febrilis refrigerationem, incertum est remedium. Si enim refrigeres, prohibebis succos vacuari, & plethoram fouebis. Si verò calfacies, augebis febrem. In hanc consilij inopiam deueniunt, qui à principio statim sanguinem non miserunt. Erasistrati scilicet persuasione inducti, qui nec spontanea sanguinis profluuia imitari potuit. Verùm rationes istorum ordine dispositas, nunc accipe. In primis enim, phlebotomiam ob impendens à subiecta venę arteria periculum, reiiciunt. Deinde aliquando aliquem metu etiam ante vasis sectionem mortuum proponunt. Alter verò, secta vena nullis modis refici potuit. Fuit etiam (inquiunt illi) quidam, cui sanguinis fluxus cohiberi nequiunt: & defecit. Alij verò eius amissionem reparare nunquam potuerunt, sed in morbos incurabiles sola hac ratione inciderunt. Adiiciunt superioribus, quòd in hac missione mediocritatem seruare, longè difficillimum est. Cuius rei gratia, necesse est alterum è duobus malis euenire: vtpote plus, aut mi-

 nus,

nus,quàm par sit sanguinis vacuari. Si ergo minus, nihil promouisti: sed ægrum frustra cruciasti. Si verò mediocritatem transgressus es,mortis occasionem præbuisti. Nam,exuperans sanguinis missio,à cæde nihil differre videtur. Postremò, si vires omnibus in morbis curandis quanta maxima licebit diligentia conseruandæ,huius succi missione non parum minuuntur: profectò, rationi parum consonare ipsius vacuatio videtur. GAVT. Mihi sanè hæc probabilia, necnon credibilia videntur: qui nimirum, sæpius grauissimos casus nempe lypothimiam,hidropē anasarcam,orthopnæam,apoplexiam,deliria senilia,imbecillitatem hepatis,alióśque multos affectus ob venæ sectionem accidisse expertus sim. CAR. Galen.(lib. de venæ sect. aduers. Erasistratum)cuiuis ex posteritate medico, liberam aduersus istos αἱμοφόβους,seu mauis sanguifugos medicos disputandi potestatem reliquit. Hanc igitur prouinciam si mihi nunc vendico,nemini arrogāter factum videri debet: quoniam hæc vtilissima de sanguinis missione disputatio (vt cetera plurima) hactenus sopita iacuit. Neque quisquam istorum rationes in gratiam saltem tyronum medicinæ reprobare, tentauit. Nam,Galenus tametsi hanc perniciosam opinionem amplè discutere poterat,nescio tamen qua ratione ductus, orationis filum mox alio conuertit: & antiquissimis primisque huius pestis autoribus Apœmante,Stratonéque,omissis, in vnum Erasistratum inuectus est. Quod ergo ille data opera,& velut conniuentibus oculis,omisit,nunc persequi aggredior:ingenuè veteribus illis medicis Erasistrato antiquioribus concedens, maximum quidem periculum à subiecta venæ arteria impendere: sed quod prudēs medicus tum proba partis deligatura,tum scalpello ingeniosè,& affabrè composito: (ne tota venæ substantia vtrimque sursum,scilicet ac deorsum secetur,& ad arteriam vsque penetret)vitare potest. Sicut enim periti nautæ per scopulos,scillam,syrtes,charibdin que,nauigantes,omnis vitæ discrimen,omnésque naufragiꝭ occasiones vitant: ita venæ sectionis artifices, ne simul cum vena secetur arteria facilè cauebunt. Quod si quibusdam accidisse obiiciunt, hos in numerum peritorum recipiendos nunquam concessero: sed potius conferendos iuueni medico cuius imperitiam notauit Galenus 5. Method. Simile quiddam (ait) & agresti iuueni contigit, dum sanguinem sibi mittendum Veris tempore curaret, quod nostratibus maximè est in vsu. Quum enim medicus qui venam inci

incisurus erat, brachium hominis deligasset: contigit attolli velut in gibbum arteriam. Itaque, hanc pro vena medicus diuisit. Exigua sanè incisio erat, sanguis autem flauus, tenuis, ac feruidus, statim cum quodam velut saltu eiaculabatur. Ac medicus quidem vt erat admodum iuuenis, & operum artis parum peritus, venam se incidisse putabat. Hæc ille. Si verò, metu periculi præclara quæque sunt reiicienda, nihil ergo serendum, propter eas quæ contingere possunt tempestates, metu latronum nusquam iter faciendum, medicinæ, iurisprudentiæ, ac sacrosanctæ theologiæ, non est incumbendum, quod multi his optimis artibus abutuntur. Atque, vt vno verbo dicam, non modò venæ sectio: verum vniuersa etiam alia saluberrima morborum remedia explodenda erunt: quandoquidem illorum intempestiuus, & importunus vsus, multò plus periculi (teste Galeno lib. de venæ sect. aduersus Erasistratum) quàm venæ sectio adiunctum habeat. Medicus enim (inquit) huius solius euacuationis liberam habet potestatem sistendi, quandocunq; illi placuerit: aliorum autem nullius. Vbi namque propinandum sit aliquod medicamentum, siue purgatorium, seu vomitorium, seu vrinarum vacuatiuum, aut capitis, aut thoracis purgatorium, horum scilicet omnium prima exhibitio, in medici potestate sita est. Cetera autem fortuna administratrice contingunt: propterea quòd singula singulorum corporum temperamenta exactè cognoscere, nulli medicorum hactenus datum est. Ingens præterea in propinationibus pharmacorum periculum est, quum vel non commouetur purgatio, vel quod in aluum tractum est, non facilè excernitur, vel cum dolore, morsibus, torminibus refrigeratione, pulsuum euanescentia, ac animi defectu exprimitur, vel quum corpus hehementer perturbatur: interimque paululum admodum euacuatus. Hoc enim ipsum, tanquam malorum omnium extremum, in hac parte frequenter contingere solet. Vt etiam doctissimus Ioannes Mesuç, cano. 4. diligentissimè uotauit. Neque enim, vt venæ incisæ fluxum quem superimposito digito mox sistes, sic profluuium alui tibi sistere licebit. Verumtamen, nemo ex medicis superuenientium symptomatum metu perculsus, à propinatione pharmacorum abstinet. Qua etiam de caussa, metu impendentis periculi venæ sectio nullo iure ab illis explosa est. GAVT. Quæ obsecro, arteriæ sectæ potius quàm venæ discrimina formidabant? CAR. Si venarum atque arteriarum tunicæ similes prorsus existerent parui

admo

admodum faciendum foret, diſcrimen ſecta vena impendens Verùm, quum arteriarum duplices ſint, vna exterior, ſubtilis, rara, & tenuis, altera verò interior, ſextupla ferè huius proportione dura, ac denſa, venarum autem, vnica propria quidem, ſed rara, tenuis, & quæ facilè coire poteſt: nihil profectò miri, ſi arteriarum vulnera ſuſpecta non modò illis malè alioqui feriatis hominibus, ſed etiam ſummis, & rationalibus medicis habeantur. Quæcunque enim, huiuſmodi naturam nempe duram, craſſam, & veluti cartilagineam, ſortita ſunt: non facilè profectò coaleſcunt: quandoquidem id mollium corporum duntaxat, quibus innata coeundi ineſt habilitas, eſſe videatur, nec enim lapis cum lapide, aut teſta cum teſta, aut os fractum alteri vicino niſi per callum (Græci πῶρον vocant) coaluit vnquam. Quibus de cauſsis vulnera arteriarum aut prorſus inſanabilia, (vt pleriſque doctis viris placuit) aut ſanè (teſte Galeno lib. 5. meth.) non niſi difficillimè curantur. Tametſi, idem ipſe in corporibus mollioribus, qualia ſunt puerorum, ac mulierum, arterias ſectas ſe tum glutinatas, tum carne vndique circumdatas, nullo aneuriſmate relicto vidiſſe, affirmet. Verùm, quum iſta rariſsimè contingunt, nec omnia corpora molli carne ſunt prædita, tutius eſt hanc arteriæ ſectionem vt ſuſpectam, & periculi plenam: è medio tollere, præſerim, quum ad manum ſint medicamenta, quibus calidum ac ſpirituoſum ſanguinem arteriis contentum moderari, necnon infeſtantes oculos calidas fluxiones, vertiginóſque affectus propellere, poſſumus. Nam, aneuriſmate facto arteriáque aut vulnerata, aut prorſus diſſecta, caro quidem foris vndique circumgignitur: vulnus autem intro patens, manet. vnde, nec ſpiritus vitalis, nec calor natiuus diſpenſari probè poſſunt: & cordis cum arteriis harmonia inſigniter offenditur, & ſyptomata perniciei plena ſubſequũtur. GAVT. Quum arteriæ vulnus tantum vitæ periculum minetur, qua tandem de cauſſa Galenus circa finem lib. de curandi ratione per ſang. miſsio. hanc ſibi primùm, deinde ſacerdoti dei Pergami, etiam tranſuerſam incidit? CAR. Ex ipſius dictione intelliges. Sanè verò (inquit) quæ mihi occaſio fuerit, iam nunc ediſſeram. Monitus per quædam inſomnia, quorum mihi duo perſpicuè viſa ſunt, acceſsi ad dextrę manus arteriam inter pollicem, & indicem ſitam: permiſiq́ue fluere, donec ſponte ſiſteretur ſanguis, Nam ita ſomnium præceperat. Effluxit autem non tota libra. Subito itaque, diuturnus dolor in ea maximè

ximè parte fixus, qua iecur ſexto tranſuerſo committitur, extinctus eſt. Mihi quidem ætate iuuenili hoc euenit. At miniſter Dei Pergami, diutino lateris cruciatu laborans, arteria in ſumma manu inciſa, liberatus eſt. Aggreſſus illud & ipſe inſomnij monitu. Vides Gautere, quàm vanis rationibus, quantóque ſuperſtitionis errore, tantus vir (proh dolor) dementatus: rem diſcrimine vitæ plenam, ſe aggreſſum fateatur. Qui tamen, paulò antè ab arteria ſecta vitæ impendentia pericula doctè, ac grauiter deſcripſerat. Cuius etiam verba recenſere, non grauabor. Si quis (ait) in ſecanda vena, fortè arteriam vulnerarit, ægrè tandem ſanguinis eruptionem compeſcet: atque vbi res optimè cadat, ad cicatricem perducta diuiſione, fit ἀνεύρισμα. Quin, & interiiſſe quoſdam (inquit) noui, ab arteria interiori in cubito venæ ſubiecta, ob vinculum imperitè à medicis iniectum, adeo vt ſanguinis eruptio in gangrenã euaderet: Alios in ipſo aneuriſmate manu curando, mortem obiiſſe. Quare, his ethnicorum hominum friuolis commentis procul reiectis, rationem ducem, eiúſque comitem experientiam ſequamur venas quidem vbi res ipſa poſtulat, ſine metu incidentes: arterias verò, (quoad licebit) integras, nullóque ſcalpello diuiſas, ſollicitè conſeruantes. GAVT. Multi præclari viri, adeóque Hippocrates ipſe plurimum ſomniis tribuerunt. Cuius rei gratia, videtur Galenus non abs re quod ſomnium præceperat, perfeciſſe. CAR. Varia ſomniorum eſſe genera maiorum ſcripta teſtantur. Quædam enim ſunt vana, alia naturalia: cetera verò vatidica. Vt autem, primis nulla fides iure habenda, ita duobus reliquis aliquid tribuere, rationi conſentaneũ eſt. Etenim, anima dum vigilat, atque corpori vires adminiſtrat, in multa diſpertita loca (teſte Hippocrate lib. de ſomniis) neutiquam ſibi vacat, ſed ſingulis corporis functionibus intenta eſt. Quum verò quieſcit corpus, illa mouetur, atque egrediens è corporis partibus, ſuo domicilio continetur, ibique omnibus illius fungitur officiis. Qua de re, nonnunquam ea contemplatur, quæ ad bonam, vel malam habitudinem corporis pertinent. Interdum etiam velut extra corpus exiſtens, diuina quædam præuidet. Quum igitur, Galenus ſibi ſecandam tranſuerſim arteriam ſomniaſſet, plurimúmque periculi ab hac impendere non ignoraret: profectò tali ſomnio parendum non fuerat, etiam ſi fortè fortuna res ſucceſſerit. Alioqui, ſi quis inter dormiendum ſomniaret ſeſe valetudinis reparandæ gratia in ignem coniiciendum,

dum, ídque manè excitus faceret: nónne hunc bellè, ac ſapienter facere iudicares? Præterea, ethnici illi ſomniis morem geſturi, expiationibus, & dæmoniorum inuocationibus vtebantur: idque certo dierum numero, quæ omnia chriſtianis viris ſunt indignißima. Verùm, de his hactenus. Altera iſtorum ratio puerilis, mihi admodum videtur. Nam ſi aliquem aliquando metu venæ ſectionis etiam ante ſectionem mortuum viderunt, eáque de cauſſa tam neceſſarium pleriſque morbis curandis remedium exploſerunt: primum ſanè temperamentum ægri, ſexum, ætatem, partem anni, regionem, cœli ſtatum, morbi cauſſam, & naturam, locum affectuum, eiúſque ſitum, vitæ conſuetudinem, medicorum conſilia, aßiſtentium quoque neceſſariam ſollicitudinem, in medium adferri oportuit. Vt enim metus ingens, quo (teſte Ariſtotele part.2.proble.26.) calor natiuus infernis partibus congregatur, ſuperiores verò, maximè cor ipſum, refrigerantur: ſic vnumquodque iſtorum negligenter obſeruatum, mortis occaſio eſſe poteſt. Porrò, timore perculſos infra calfieri, ſupra verò refrigerari, tremor, ac ventris inferioris ſolutio, manifeſtè (vt idem philoſophus part.27.problem.1.ſcitè docuit) declarant. Ipſa quoque experientia, pleroſque timentes vrinas, aluíque recrementa inuitos reddidiſſe teſtatur. Quare, ſi æger ille innominatus, quem proponunt, natura vſqueadeo meticuloſus erat, vt etiam ſuam formidaret vmbram: nil mirum profectò, ſi venæ ſectionem perferre nequiuit: ſed ingenti metu attonitus, ante ſectam venam animum expirauit. Siquidem, ille non animam fortem (inſtar Hectoris & Aiacis) ſed animulam debilem, quæ valido affectu oppreſſa è corpore ſtatim migrauit, habebat. Præterea, & ſi illis demus vnum aliquando metu venæ ſectionis periiſſe, pro nobis tamen faciet, quod multa hominum milia non modò intrepidè, ſed etiam manifeſta vtilitate conſequuta, hoc præſidio hactenus vſi ſunt. Mihi quoque fit ſimile veri, vt is quem aliquando metu phlebotomiæ interiiſſe, dicunt, inciderit in medicum ignarum ac imprudentem, qui ex artis præcepto ægrum rogaſſe debuerat an venæ ſectionem perferre, aut vellet, aut poſſet, aut etiam interdum bellè citráque animi deliquium pertuliſſet. Præterea, rogandus fuerat ægrotus, num aliquando alicui venam ſecari viderit, idque ſine aliqua animi perturbatione. Ita namque, & periculum vitaſſet, & generoſi medici functus munere fuiſſet. Adde, quòd metus ætati puerili, ac muliebri

liebri ſexui quaſi natura ineſt : Quamobrem iſtorum quoque habenda fuerat ratio. Verùm, quid in re fortaſſe mendoſa, & ab illis ſanguifugis commenta, refutanda, diutius immoror? Dum enim aliquem aliquando defeciſſe dicunt, nec perſonam ſuo nomine, nec tempus nec locum, vbi hoc contigit definientes, dictionem ſuam falſi ſuſpectam relinquunt: neque Hippocratis lib. Epidem. 1. & 3. aut Galeni 8. meth. lib. de curandi ratio. per ſang. miſsio. cap. 17. lib. de ve. ſect. aduer. Eraſiſt. veſtigia ſequuntur, qui & nomina ægrotantium, & ciuitates vbi degebant, & morbos, eorúmque cauſſas, & ſexum, & ætatem, & partem anni, & medicamenta quibus vſi ſunt, ſollicitè explicarunt: quò certa fides eorum ſcriptis haberetur. Tertia porrò ipſorum ratio, qua ſecto vaſe ſanguinis quendam nullis modis refici potuiſſe proponunt, ſuperiori probabilior exiſtit: verùm quæ à quouis medioccriter in arte medica exercitato, refutari queat. Nam, caſus ille letalis non ſolùm metu, ſed potius exuperata mediocritate contigit. Omne enim nimium (inquit) Hippocrat. aph. 51. ſect. 2.) inimicum naturæ, quod autẽ ſenſim fit, tutum eſt. Nec ſola immoderata ſanguinis vacuatio, ſed & alia quæuis, periculi plena iure optimo haberi debet, vti grauiſsimus teſtis eſt Gale. comment. aph. 3. ſect. 1. cuius verba ſubiicere placuit. Nam (ait) vt in vniuerſum dixerimus, in omni euacuatione vires ægri attendere oportet, & donec tolerat, necdum laborat, tentandum eſt humorem exuperantem educere: quum verò diſſoluuntur vires, etiam ſi reſtent ſuperfluitates, earum vacuationem cauere oportet. Vnde luce clarius conſtat, illum quem in medium adducunt, viribus reſolutis, & ſpiritibus nimio ſanguine miſſo exhalatis: mortem obiiſſe, qui tamen ſeruata mediocritate, ingens commodum ex venæ ſectione percepturus fuerat. Cuius rei gratia, non hoc nomine explodenda veniebat ſanguinis miſsio, ſed potius ſeuerè arguendi, ac caſtigandi carnifices quidem, qui titulo medicorum ſe iactantes, venam ſecari iubent: etiam ſi affectus hoc præſidium minimè poſtulet. Et, quod deterius eſt, fluente ſanguine pulſibus (vtpote quos ignorant) non attendunt: qua de cauſſa, viribus reſolutis, ſpiritibúſque exhalatis, illis inopinantibus ægri repente moriuntur. Quarta demum aſſertio, quam nullo fulta ſit fundamento, vel hinc diſcere licet, quòd in actione promptiſsima, necnon cuiuis obuia, cæcutiuerint. Quum tamen infinita ſint propemodum pharmaca, quæ ſanguinis fluentis impetum com-

pescere valent. Quam obrem, sangnifugi illi grauiter culpandi, qui doctis atque eruditis tum veteribus, tum recentioribus medicis, laudatam venæ sectionem explodere conati sunt. Verùm enimuero, quantum artificiosa coniectura assequi licet, ille quidam (sic indefinitè loquuntur) cui sanguinis fluxus secta vena cohiberi non potuit: eáque de caussa fatis concessit, imperitum artificem nactus erat: qui fortè vel tremulus, vel lusciosus, aut vinolentus, aut deligandi brachij parum peritus, aut certè scalpello minus idoneo vsus, venam transuersam secuit: & subiectam arteriam vulnerauit:. Vnde (meo quidem iudicio) mors consequuta. Quæ tamen ratio, nullam huiusmodi deliris, ac insanis hominibus explodendæ venæ sectionis (quam medicorum principes tantis laudibus extulerunt) ocasionem, præbuit. Quod autem proferunt, nonnullos phlebotomiæ caussa in morbos desperatos incidisse, neque iacturam emissi sanguinis aliquando reparare potuisse, concedimus: modo illi nobis vicissim, & caussam morbi, & mensuram vacuationis, definiant. Nam si viribus imbecillis, aut affectu reluctante, aut cœlo repugnante, sanguis immoderatior fluxit: sanè nihil mirum si morbi insanabiles excitati sunt: quando (vt prius etiam dicebamus) hæc vna sufficiat mortis occasio. Desinant igitur, isti malè feriati homines αἱμόφοβοι missionẽ sanguinis insectari, & tum ratione, tum experientia victi, nobiscum ingenuè, nullum præstantius ad quorundam præter naturam affectam medicationem remedium, à natura miseris mortalibus donatum, concedant. GAVT. Friuolas istorum hominum rationes, quantóque errore tenebantur venę sectionis explosores, clarè percipio. Verùm, duæ supersunt, quæ mihi iam refutatis validiores esse videntur. Cuius rei gratia, quæ bonis auibus cœpisti, melioribus in his refellendis (si placet) absolue. CAR. Superioribus argumentis isti sanguifugi addunt, in sanguinis missione mediocritatem seruare, longè difficillimum esse: qua de re, vtrimque periculum non paruum imminet. Nam, si minus, quàm oportet, sanguinis miseris, nullo fructu consequuto ægrum cruciasti, necnon affectum ipsum contumaciorem reddidisti: sin excesseris, accersis syncopas letales, ægrè reparabiles, atrophiam, præcipitem, senectem, deliria senilia, apoplexiam, orthopneam, hydropen anasarcam præsertim, & alia plurima vitio hepatis generata mala. Ego verò, cum Galeno lib. de ve. sec. aduer.

Erasist.

Eraſiſtra. mediocritatem hîc quã ceteris artis operibus ſeruare, iuſtis de cauſsis facilius eſſe, cenſeo. Primùm enim licet tibi coloris ſanguinis mutationẽ diſpicere, quem vbiſecundũ naturam ſe habere videbis, ſuperimpoſito venæ digito ſiſtes, neq; aliquo pacto huius vel tantillum amplius exire, permittes. Prudentiſsima namque natura, prius quod moleſtum eſt, expellit: dein (niſi huic opem tuleris) etiam quod vtile eſt, foras ire permittit: quemadmodum diuinè, diuinus ſcripſit Hippocrates lib. de natu. hu. Neque ſolùm colorem, verumetiam ſaporem, ceteráſque eius tangibiles qualitates experiri, licebit. Eſt quippe ſanguis naturalis calidus, humidúſque moderatè, ſimul ac dulcis. GAVT. Vidi ſæpius vacuata inſigni cruoris copia, necnon iam impendente lypothimia, nullam prorſus coloris mutationem ſuperueniſſe. Quid igitur hîc agas. CAR. Attendam viribus, & quoad ferent, ex conſilio Galeni comment. aph. 3. ſectio. 1. vacuabo: vbi verò, ex pulſibus inſigniter minui depræhendero, etiam ſi in venis aliquid ſuperfluum relinquitur, ſiſtam. Aut ſanè, quòd plerique omnes prudentiores medici Galenum ſequuti, hodie factitant, vacuationem partiar, propterea quod, vti rectè ex ſententia Hippocratis apho. 51. ſectio. 2. cenſet Meſues, cano. 6. theore. 3. Tutius eſt parum & ſæpe, quàm multum & ſemel vacuare. Accedit, quod etiam fluente adhuc ſanguine, ipſius ægri non modò arterias tangere, ſed etiam vultum, geſtum, oculos, faciem, denique totam intueri, licet. Iſta namque vniuerſa, iuſtam emiſsi cruoris menſuram docebunt. Sanguinis quoque impetus labaſcens, & pulſus magni vehementes æquales, in paruos languidos, inæquales, dubios, incertos, ac obſcuros mutati, non paruã opem huic mediocritati cognoſcendæ adferunt. Taceo interim (vt ſupra quoque dicebamus) quòd medicus huius ſolius vacuationis liberam habet poteſtatem ſiſtendi quandocunque illi placuerit, aliorum verò nullius: quam ob rem, in hoc quàm ceteris præſidiis menſuram ſeruare, illi facilius eſt. Nec inficias ire poſſum, errata præſertim exceſſu commiſſa, noſtris corporibus maximas inferre noxas. Verùm, quid tandem obſecro, ad exceſſum, mediíque exuberantiam, rationalem medicum adigere poterit? Nihil profectò. Noxæ autem defectu illatæ, multis modis promptè corrigi poſſunt. Quare, aut nihil aut parum admodum periculi minantur: præſertim quum vel ſola iteratione (quam ſecundationem hodie nonnulli vocant) nulli prudenti medico

prohibita, præcaueri queant. GAVT. Iterata hæc sanguinis quando facienda? CAR. Si solius vacuationis gratia constituitur, eodem die fiat. Si verò reuulsionis caussa, vnum atque alterum diem interponere (si Galeno fides habetur, lib. de cur. ratio. per sang. missio.) melius est. GAVT. Quid de virium custodia quam illi postremam obiiciunt, censes? CAR. Vires facultatum nostra corpora dispensantium, non modò in pellendis affectibus præter naturam: sed etiam tuenda valetudine integras quoad licet, seruari oportere, ingenuè concedo. Verùm, tempestiua venæ sectione insigniter minui, mordicus diffiteor. Neque me mouent quotidiana experimenta, quibus res vulgaribus, ineptísque hominibus aliter se habere videtur. Nam, tametsi ob facultatum, seu animarum (vt loquebatur Plato in Timæo) consensum, corpora misso sanguine paulo debiliora videntur: mox tamen vitiato sanguine exonerata natura attollitur, & victricem se agnoscens, non modo pristinas vires reparat: sed etiam adauget, sublatis nimirum è medio quæ ipsius actiones remorabantur. GAVT. Quibus argumentis veteres illi medici ludificati, venæ sectionem explodere conati sunt, satis, supérque demonstrasti: Verùm, quibus de caussis medicorum principes, etiam tanto studio, tantáque animi præparatione, summis laudibus extulerint, nondum patefecisti. Nam, (meo quidem iudicio) aliorum errata demonstrasse minimè sufficit: sed propria opinio quamquam verissima, rationibus validis fulcienda. CAR. Pergis Gautere, tui similis esse, & me volentẽ quantũ potes ad maxima tractanda cogis. GAVT. Malo, volens volentem: quàm aut nolentem volens, aut volentem nolens, cogere. CAR. Rectè tu quidem, ac facetè. Verùm audistin aliquando, medicum esse naturæ ministrum? GAVT. Audiui ac sæpius hac in re summi Hippocratis, apho. 21. sect. 1. præceptum relegi. CAR. Quid tandem ille iubet? GAVT. Educenda, locis ad quos natura vergit, esse omnia corporis recrementa. CAR. Hanc igitur ducem, atque magistram naturam, sibi in sanguinis missione sequendam proposuerunt medicorum principes, nefas esse rati, ea damnare quæ in dies non modò ægris, verùm etiam sanis corporibus, eiusdem admiranda sapientia fieri cernimus. Quis enim nescit, quanto valetudinis commodo mulierum vteri singulis lunæ periodis repurgantur? Nam (teste Hippocrate, apho. 29. sect. 6.) probè fluentibus menstruis, mulier nec podagra, nec ceteris articulorum

dolo

doloribus corripitur: quinimo (si Galeno credimus.lib.de venæ sect.aduer.Erasistr.)nec lateris inflãmationibus,nec pulmonum vlcere, nec epilepsia,aut apoplexia, aut asthmate, aut denique vocis amisione, ritè purgata mulier, laborauit vnquam:sicut nec phrenitide, aut lethargo, aut conuulsione,aut tremoribus, aut rigoribus, aut melancholia, aut sanguinis sputo, aut cynanche, aut synanche præfocatam, aliquando aliquis conspicere potuit. Vnde perspicuò discere licet, naturam hunc sanguinem menstruum haud temerè vacuare:sed muliebre genus, quod ociosum domi magna ex parte manens plurimam humorum multitudinem coaceruare solet, hac ratione tuetur incolume,idque ante partum. A partu verò aliis quidem modis,sed valde conuenientibus: vt secundarum eductione, lactis generatione, & aliis non paucis. Si ergo, vti dicebamus, medicus naturæ ministrat, quæ huius vestigia in curandis morbis præsertim sanguine suppresso excitatis, non sequetur? Nec enim, alia curationis talium affectuum tutior via excogitari potest, quàm si suppressum cruorem (quem natura non impedita sollicitè vacuatura fuerat) tempestiuè secta vel poplitis, vel malleoli vena, eduxeris. GAVT. Vidi complures mulieres, suppresis menstruis in grauissimos affectus,nempe syncopas, animi frequentes exolutiones,leucophlegmatias, icteros, hydropes,phrenitides, ardentes febres, conuulsiones, rigores, tremores,manias quoque,& epilepsias, tandem incidisse. CAR. Non eo inficias, quando etiam nonnullæ hac vna de caussa in lepram inciderunt, corrupto scilicet venarum ad mammas, & vterum pertinentium sanguine. Quin etiam, validis argumentis demonstrare possum,mulieres quasdam alioqui castas, & legitimè cõiugatas:pluribus maritis in coitu, mortis occasionem præbuisse, vtpote in spirituosum pudendi virilis, neruum tunc patentem, emisis vaporibus tetris, ab vteri sanguine diutius retento, & corrupto,transpirantibus: & tandem ad hepar, ceteràsque partes principes conscendentibus, suáque venenata qualitate eas lædentibus, perinde ac in lue Neapolitana fieri scimus. Adde, quod ea ipsa dux atque magistra natura, dum per vteros frustra sanguinis vacutionem molitur, ad nares illum deriuat. Vnde Hippocrates, aph.33 sect.5.menstruis deficientibus sanguinem è naribus fluentem probat. Sed, quid in mulieribus ista fortasse longiore sermone persequor? An non in viris quoque, eandem naturæ prudentiam rationali medico

admirari licet? Sunt enim nonnulli, qui ſtatis temporibus per hæmorrhoidas purgauit, & vacuato ſanguine à grauiſsimis morbis vindicantur, vt ipſe quoque Hippocrates apho.11. & 12. ſect. 6. docuit. Quanto autem tuendæ ſanitatis commodo per nares abundantem in venis ſanguinem eadem natura vacuet, quorumdam morborum criſes ita manifeſtè demonſtrant, vt nulla ampliori probatione ſit opus. Nunc habes Gautere, quibus de cauſsis ſectæ rationalis principes miſsionem ſanguinis & receperunt, & ſumma diligentia excoluerunt, & laudibus meritis celebrarunt. Verùm, quoniam tribus modis ſanguis è vena vel arteria profluere, conſueuit, de his pauca ſubiiciam: vt generalem de miſsione huius ſucci ſermonem coarctemus, & arti medicæ peculiariter aptemus. Fluit igitur, in primis per apertionem vaſorum, quæ Græcis ἀναςόμωσις dicitur. Reſerantur autem venarum, & arteriarum orificia, quando imbecilliores redditæ, ſanguinem etiam bonum continere nequeunt: ſed vltro effluere ſinunt. Interdum quoque, ob ſanguinis violenter irruentis impetum, & copiam. Poſtremò, propter eiuſdem acrimoniam, aut calore, aut immodica exercitatione, aut balneo calidiore, & frequentiore, aut alio eius generis quopiam, extrinſecus incidentem. Deinde, vulnere, contuſione, roſione, ac ruptione, ſoluta ac deperdita tunicarum vaſorum huius ſucci continuitate, plurimus nonnunquam foras erumpit: vti Galenus lib.1. de differ. morborum, pulchrè docuit. Tertium porrò genus profluuij ſanguinis, rarefactis plus æquo venarum, & arteriarum tunicis efficitur. Ipſo præterea ſucco naturali valde tenuato: ſic enim per poros vaſorum, inſtar ſudoris tranſcolatur, fitque illa diapedeſis, ſeu reſudatio, cuius meminit idem Galenus 5.meth. Enimuero, omiſsis profluuiis quæ natura duce aut caſu quodam contingente fiunt, de artificioſa tantum miſsione, deinceps verba me facturum recipio.

De prouidentia medici ſanguinem miſſuri, Dialogus IIII.

Perſonæ.

CARVINVS, GAVTERVS.

CARVINVS.



QVAM verè ſummus ille Hippocrates Præſag. 1. nihil perinde conducibile medico, quàm vt ſe prudentem præſtare laboret, cenſuerit: cùm in cæteris artis operibus, tum maximè in venæ ſectione contemplari licet, vtpote qua rectè adminiſtrata, iure optimo & bonus, & admirabilis medicus habeatur. Verùm enimuero, multas habet cautiones, multáque prudenter circunſpicienda, necnon prouidenda, priuſquam ſanguis vitæ noſtræ theſaurus, ſecta vena mittatur. GAVT. Quando per ocium tibi & iſtis quoque verba facere licet, quænam ſunt obſecro, ediſſere. CAR. Faciam equidem libenter, quò & tibi gratificer, & quorumdam in mittendo ſanguine temeritatem reprimam. Ante omnia igitur, præ oculis ſemper habenda ſunt iſta diuini Hippocratis lib. 4. de rat. victus acut. præcepta. In morbis acutis ſanguinem mitte, ſi affectus eſt vehemens, ſi ætas floret, ſi denique vires ægri ſufficiunt. Ab iſtis enim tribus ſcopis conſentientibus, prima mittendi ſanguinis iudicatio ſumitur, ſi modo Galeni 4. Method. doctrinam non reſpuimus. GAVT. Opinabar alios quoque ſcopos complures obſeruandos, nempe temperamentum ægri, ſexum, ætatem, ſtatum cœli, ambientis conditionem, regionem, anni tempus, vitæ conſuetudinem, aliáque nonnulla. Nam, ſi verbi gratia fluentibus menſtruis mulier quædam pleuritide corripitur, etiam ſi morbi magnitudo, ætas, viréſque conſentiunt: tamen ſanguis huic mittendus nequaquam videtur, quoniam natura duas tam inſignes vacuationes ſimul perferre nequiret. CAR. Rectè iudicas, & tecum hac in parte ſentio: quam ob rem, diſputationis initium ab his tribus ſumamus (ſunt enim præcipui ac primi) de reliquis, vtpote ſecundariis poſtea dicturi, ſic enim ordinis ratio poſtulat. GAVT. Agendum. CAR. Morbus tribus potiſsimum de cauſsis magnus à medicis, licet abuſiuè dici-

tur. Primùm, ob partis laborantis dignitatem, ſeu principatum quem in corpore tenet, cuiuſmodi ſunt cerebrum, cor, & hepar, ſedes trium facultatum noſtra corpora diſpenſantium: quibus nonnulli teſtes quoque adiiciunt, propterea quòd etiam ſi abſque illis vita conſeruetur: non tamen ſpecies per indiuiduorum continuas generationes conſeruari poteſt. Demus ergo, aliquod illorum trium eſſe diſciſſum, hæc continui ſolutio non ſolum magnus erit morbus, verumetiam (teſte Hippocrate Apho.18.lib.6.) letalis. Magnus etiam dicitur morbus, ob ſymptomatum vehementiam, quales ſunt phrenitis, pleuritis, præſertim ſiniſtri lateris, nephritis, colicus affectus, arthritis, epilepſia, mania, aliique complures periculo non vacantes. Poſtremò magnitudinem morbi à difficultate curationis interdum ſumunt medici, quando nimirum rebellis, & contumax euaſit: cuiuſmodi ſunt hulcera chyronia dicta, quòd Chyrone centauro (vnde centaurium herba nomen accepit) medico ad ſui propulſionem egere videantur: quæ ob id etiam κακοήθη Galeno 4. Method. dicuntur. Quum ergo, videbis affectum ſua magnitudine periculum minari, de venæ ſectione conſilium inito. Secundi autem ſcopi prouidentia, ex ætatum diſtinctione pendet: hac enim perſpecta, florentem ætatem nullo negocio cognoſcere licebit: Sunt porrò, Hippocrate teſte Apho.13. ſect.1. Aph.18. ſect.3. Apho.24.27.29.31. ſect.3. ætates principes 4. nempe pueritia, pubertas, iuuentus, & ſenectus, quibus aliæ quidem adnumerantur, verùm vt partes duntaxat. Pueritia igitur, ſtatim ab eo tempore quo vterum matris infans egreditur, incipit: & ad 14. annum completum extẽditur: cuius totum illud tempus quo puer adhuc fari neſcit, infantia dicitur. Anno 14. reuoluto, pubertas incipit, ad 25. protenſa, cuius ſanè pars eſt adoleſcentia, cui Galenus Apho.9.lib.5.commentario. Commenta in lib. Hippo. de victu priuatorum, optimum vitæ totius temperamentum tribuit. Hæc autem, vt 18. anno incipit, ita 25. completo finit. Adoleſcentiam pubertatis partem, mox ſequitur iuuentus, quam ætatem florentem, virilem, conſiſtentem, medicorum principes paſsim appellant. Quæ quidem, à 25. anno exordia ſumens, ad 35. prorogatur: vti doctè, & grauiter Galenus Commento 3. ſect.3. Apho. comment. 9. ſect.5. lib. 1. de victus rati. multis locis demonſtrauit. Quarta demum ætas, quam ſenectam dicimus, duplex eſt Galeno 5. de ſanit. tu. prior ſcilicet, atque poſterior. Prioris initium à 35. anno reuoluto

ſumi

sumitur, ad 49. completum, seu 50. incipientem protenditur. Et qui hanc ætatem degunt, senes absolutè dicuntur. Posterior illa senectus, ab initio 50. anni ad finem vsque vitæ perdurat, & qui in hac agunt, seniores appellantur, quorum nonnulli ciuilia negocia adhuc obire possunt, Græcis ὠμογέροντες appellantur, latinis vieti, viridísque senectæ. Alij, ob virium imbecillitatem hæc præstare, etiam si satis bellè habeant, nequeunt. Reliqui porrò, teste Galeno, sunt decrepiti, extremámque senectutem degunt. Differunt autem 4. ætates præcipuæ, non solùm annorum numero, verumetiam corporum temperamentis: quippe, puerorum corpora calida humidáque sunt: Pubeḍres medium temperamentum obtinent: iuuenes calidi sicci: Senes frigidi sicci, magis aut minus pro senij varietate. Vnde manifestum euadit, quur Hippocrates lib. 4. de ratione victus acuto. solis ætate florentibus sanguinem mitti præcipit: qua etiam de caussa. Galenus 8. & 11. Method. à sermone mittendi sanguinis pueros, cum senibus excipit. GAVT. Cur pueris perinde ac iuuenibus sanguinem mittere haud liceat, nondum satis assequor. Nam, Hippocrate autore Apho. 14. sect. 1. plurimum habent calidi innati, pluribúsque alimentis indigent: quę etiam melius, & perfectiùs quàm ætate florentes percoquunt: quum igitur, viribus (naturalibus præsertim) polleant, si in magnos inciderint morbos, saltem post annum 7. quid illis venam incidisse nocebit? Ad hæc, scio quosdam pueros venæ sectionem innoxiè tulisse: & mortis periculum hac vna ratione effugisse. CAR. Pueros plurium caloris insiti habere, eiúsque rei gratia, ne corpus absumatur pluribus alimentis indigere, tibi ingenuè concedo. Verùm, is quum aereæ, humidæque naturæ sit: per mollia, & rara corpuscula plurimus assiduè transpirat, atque digeritur. Vnde quod ex incidenda vena moliendum fuerat, id vel vltro corporis adhuc tenelli natura præstat: qua de re, hoc vacuantis auxilij genus illis non paruam valetudinis noxam adferret. Neque silentio prætereundum, sanguine puerili naturam duabus de caussis egere: propterea quòd istorum corpora non modò nutrienda, sed augenda quoque sunt: quæ quidem opera, sine sanguinis copia commodè perfici nequeunt. Porrò, venæ sectio vires deiicit: pueri verò, non ob caloris aut sanguinis inopiam, verùm solidarum partium largam adhuc & molliciem, & humiditatem, imbecilli sunt: imo ad aliquot annos ne pedibus quidem stare queũt, quam ob rem illis nec tutò, nec

commodè ſanguinis vacuari: etiam ſi 7. exceſſerunt annum, poſſe videtur. quod altiore mente contemplatus Gale. 11. Meth. ita ſcriptum reliquit. At ſi febris putrida in puerum incidat, qui 14. annum hactenus non attigit: illi ſanguis mitti non debebit. Quod autem prudenter adduxiſti, quoſdam ſcilicet pueros, ſecta vena mortis diſcrimen vitaſſe: id quamuis rarum, tamen verum recipio. Nam, extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima eſſe, contendit Hippocrates Apho. 6. ſect. 1. nihil interim temere, aut ſine ratione fieri permittens: vti aliquando validis rationibus docebo. Quare, ſi nonnulli pueri, maximis, ac penè deploratis morbis oppreſsi, hoc præſidio ſanati ſunt, id diuino quodam beneficio accidiſſe, piè credendum. Vidi etiam ipſe Lutetiæ degens, atque ſub doctiſsimo præceptore D. Iacobo Siluio, arti medicæ comparandæ operam haud ſegnem nauans, iuſſu D. Ioannis Fernelli, Henrici ſecundi, Galliarum eius nominis Regis, archiatri: puero ac filio chyrurgi cognomine Pilorgi, mihi ſane iuſtis de cauſis familiariſsimi: annos nedum ſeptem nato, ob febrem ardentem venam à patre ipſo ſecari, qui triduo præter expectationem ſanguiſugi medici, planè conualuit. Legi quoque apud Auerroim cap. 3. colliget. 8. clariſsimum illum inter Arabes medicum Abimeron Auenzoar, filio ſuo nondum tres annos nato, internam cubiti venam ſecuiſſe, eáque ratione mortis periculo liberaſſe. Superioribus exemplis accedit, quod nonnulli puerorum, etiam ſi 14. annum adhuc non exceſſerint: habitum corporis ſecundæ venæ ſatis opportunum habeat, nimirum carne duriuſcula, denſáque admodum præditi, latas quoque, ac eminentes venas habentes, faciem præterea rubicundam magis, quàm pro naturali conſuetudine, aliáque nonnulla, quibus altiore mente repoſitis, prudens medicus, ſanguinem ægrotanti puero vrgente neceſsitate mitti, iubebit. Adde ſi lubet præclariſsimum illud Celſi axioma, cap. 10. lib. 2. Firmus puer, robuſtus ſenex, grauida mulier valens, tuto venæ ſectione, ſanguiníſque detractione curantur, adhibito prius medici ſapientis conſilio, quo ſcilicet in omnibus iſtis virium menſura, potius quàm ætas, aut annorum numerus æſtimetur. Poſtremò, ſi quis vigilanter, & ad vnguem ſcripta Galeni ca. 13. 14. prio. lib. de arte cur. ad Glauco. perpenderit, comperiet ipſum non adeò ſeuerè detractionem ſanguinis in pueris robuſtis, magnóque morbo correptis, vetare, qui vrgente neceſsitate aliquantum mitti concedat,

minus

minus tamen, quàm si idem affectus iuuenile corpus diuexaret. Ergo, certè aut nullus, aut perquam exiguus in puerorum, senúmque affectibus, sanguis mittendus erit. Nam, teste Hippocrate Apho.14.sect. 1. senibus parum calidi innati adest: quod à multis promptè extingui (præsertim venæ sectione refrigerante) potest: resoluto nimirum vnà cum vitali spiritu calore natiuo. Si verò, nonnulli senum, etiam septuagenarij, pulsus habent magnos, vehementes, & æquales: his perinde ac si ætate florente ægrotarent, affectu postulante sanguis mittendus. Neque numero dierum, vt rectè sentit Galen. cap. 13. de curan. rat. per ven. sect. sed viribus validis attendendum. Quod quidem, superioribus annis Geruasius maquinonus prudentissimus medicus, in Ischiade soceri sui, tuique auunculi septuagenarij, post multa tum sumpta, tum admota medicamina, fœliciter tentauit. GAVT. Si his quoque ætatibus sanguinem detrahere licet, qua de caussa summus ille Hippocrates lib.4. de rat. victus acut. solius florentis meminit? GAVT. Quoniam hac vna ætate tribus scopis primis consentientibus, tutò (etiam ad lipothimiam vsque) si affectus postulat: ceteris autem non absque discrimine, vacuatur. Taceo interim, hanc ætatem consistentem maximis & acutissimis morbis, quique hoc auxilio maximè indigent, esse perquam opportunam: quod nimirum calor acris in corpore tum dominetur, vt ipso quoque tactu discere licet. Ipsam verò pubertatem à missione sanguinis non esse excipiendam, luce clarius demonstrat Galenus 11. Metho. his verbis. Quod si corpus (inquit) 14. annum excesserit: æstimandum est qualisnam sit ipsius natura, num gracilis, & spissa, & dura, & copiosi sanguinis: aut contra. Nam in priori missionem sanguinis adhibebis, in posteriori verò, minimè. Quibus de caussis, scripta veterum prudenter accipienda sunt, atque his quæ sæpius contingunt, accommodanda: propterea quòd de singulis casibus (futuris præsertim) certi quidpiam definire, nequiuerunt. Cuius rei gratia, hos prudentiæ posterorum committere, ac relinquere compulsi sunt. Nam, neque pueri, neque senes, neque mulieres grauidæ, sæpius (vt iuuenes) in hanc mittendi sanguinis necessitatam medicum rationalem adigere, consueuerunt: Si tamen aliquando id vsu venerit, æstimandis viribus (vt rectè monet Cellsus cap.10. lib.2.) danda est opera: vnde colligat, possit necne misso sanguine superesse, quod vel puerum, vel senem, vel in vna muliere duo corpora sustineat. Iam,

qua prouidentia & morbi magnitudinem,& ætatem florentem, priusquam mittatur sanguis, medicus dignoscere posʃit, satis superque demonstraui. Quare, superest, vt de viribus non modo medico sanguinem missuro sollicitè prouidendis: sed etiam cunctis in morbis religiosè conseruandis, sermonem instituam. In his quippe, tertius scopus constituitur. GAVT. Quid virium tantopere celebratarum nomine, principes medicorum intelligi volunt? CAR. Trium facultatum nostra corpora dispensantium robur. GAVT. Tres esse facultates humani corporis directrices, si lubet, priusquam de ipsarum viribus disseras, ostende. Nam quidam falsa opinione scientiæ ludificati, hunc numerum facultatem (etiam si erroris sui nullam, saltem verisimilem, rationem adferre queant) prorsus respuunt.
CAR. Scio tale quoddam esse hominum genus. Quinimo olim mihi cum quodam super hac re suscepta est disputatio, qui dum verum docerit nolle, ad minas, fictásque exprobrationes, sermonem conuertit, & odium capitale in me concepit. Verùm, hoc valere iusso, Galenum ipsum disserentem audi lib.1. de arte cura.ad Glauc.cap.14. At (inquit) quæ ex propria imbecillitate virium quæ corpus regunt, exolutiones eueniunt, ex intemperantia videlicet factæ partium de quibus vires proficiscuntur, contrariis curare intemperaturis oportet: frigidas quidem calfacientes, calidas verò refrigerantes, atque in aliis eadem ratione. Virtus igitur, quam vitalem vocant, quam etiam ex corde prodire ostendimus, ex pulsuum debilitate cognoscitur. At, quæ ex hepate oritur, ac naturalis dicitur, ex sanguineis egestionibus ab initio aquosis, atque tenuibus: postmodum verò crassis admodum fæcis. Sed, quæ ex cerebro originem ducit, quam præcipuè nonnulli animalem appellant: ex motuum voluntariorum imbecillitate, deprænhenditur. Vnde, vel luce ipsa clarius, facile est cuiuis deprænhendere, Galenum tres virtutes, seu facultates nostra corpora regentes, statuere. Animalem quidem in cerebro, vitalem in corde, naturalem postremo in hepate: discrepant tamen inter sese, & dignitatis, & temporis ratione. Ipsa namque naturalis virtus, tempore quidem ceteris prior est: dignitate verò, postrema, vtpote, quæ non solis animalibus, sed etiam plantis vniuersis inest. Hæ namque, (vti rectè censet Aristoteles 2. lib. de ani.) & alimentum è terra per radices trahunt, tractúmque digerunt, beneficióque sui caloris insiti coquunt, ac tandem superflua quibus cortices generantur,

rantur, foras propellunt. Animalis verò, tempore quidem postrema, sed essentiæ dignitate prima: vtpote, cuius quædam actiones diuinæ prorsus iure optimo habeãtur. Quamuis enim, brutorum nonnulla sensu motúque voluntario prædita sint, nullum tamen eorum ratione vti potest: verùm ad id tantùm sese accommodat, quod adest, quódque præsens est: parum admodum sentiens præteritum, aut consequens. Homo autem rationis particeps est, per quam consequentia cernit, caussas rerum videt, earúmque antecessiones non ignorat. Vitalis porrò facultas è corde procedens, vt medium locum, ita dignitatem obtinet. Nam tempore posterior est naturali, dignitate verò prior. Contra, natura posterior, tempore verò prior animali facultate, existit: vti ex formatione fœtus depræhendere promptum est. Hæc autem quæ diximus omnia, non modo ex Galeno lib. de placi. Hippocra. & Plato. sed etiam diuino Platone in Timæo, discere licebit: qui tres animas nostrum corpus regentes validis argumentis fultus, constituit. Primam ratiocinatricem in cerebro, secundam animosam in corde, tertiam altricem in hepate, à summo rerum opifice sapienter collocatam, verissimè adserens. De quibus etiam audi Galenum ipsum 9. Method. Gubernant (inquit) animal tres inter se diuersi generis facultates, toti corpori ex suo veluti fonte quæque distributa. Eas Plato animas vocat, propriam cuiusque substantiam inueniens. Est enim quædam earum ad nutriendum animal necessaria, ac cum stirpibus communis: quæ iecur veluti pro fonte habet, canales ab hoc in totum corpus sparsos, ipsas venas. Altera est, quæ non modo vt stirpibus, & vita pręditis: sed etiam vt animalibus anima est insita. Hæc sedem in corde habet, ipso quodam insiti caloris ceu fonte. Ab hoc autem canales dispersi, arteriæ sunt. Tertia facultas, siue anima ratiocinatrix, in cerebro domicilium habet: & voluntariis motibus, vnà cum sensibus præsidet, vtitur & hæc particulis quibusdam, ceu canalibus, nempe ipsis neruis, sensum, motúmque per hos in totum animal transmittens. Harum autem facultatum vires, quarum prouidentiam medicum sanguinem missurum habere conuenit, ex actionibus dignoscuntur. GAVT. Quo artificio? CAR. Si æger adhuc mente constat, & ad ea quæ offeruntur bene sese habet: bonum (teste Hippocrate Apho. 23. sect. 2.) signum, non me hercle bonæ valetudinis duntaxat reparandæ, verum etiam roboris facultatis animalis in cerebro (vt diceba-

mus)

mus) residentis. Nemo quippe, mentis constantia frui potest, nisi cerebro, eiúsque partibus vniuersis tam essentialibus, quàm addititiis, spinali quoque medulla, septo transuerso, partibúsque neruosis haud procul ab eo dissitis, bene habentibus. Præterea, in morbis appetitum permanere (sine quo nemo bene ad oblata nutrimenta se habere potest) an non ventriculum, hepar, & cor ipsum bene adhuc affici designat ? His ergo ita sese habentibus, de viribus tum animalis, tum naturalis facultatis iudicium facere, licet. Adde, si quispiam adhuc citra offensam videt, audit, gustat, odorat, ac tangit, imaginatur, belle ratiocinatur, & memoratur, libera corpus mouendi potestate fruitur, in hoc profectò, vires animalis facultatis adhuc robustæ (quantum in illis est) missionem sanguinis absque discrimine, indicant. Attendendum etiam, tum cordis, tum arteriarum pulsibus: vtpote, ex quibus vires facultatis in corde residentis, quam vitalem appellant, æstimandæ sunt. Si enim magni, vehementes perpetuóque sibi æquales comperiuntur, huius facultatis robur mittendo sanguini sufficere, demonstrāt. Sin contra, parui, languidi, inæquales in vna pulsatione, vel pluribus, si denique obscuri, serrati, profundi, intercidentes, aut formicantes, fuerint, sanguinis missionem fuge. Nam, detracto vel tantillo sanguine, virtus illa vitalis succumbet: ac syncope, vel (quod multo deterius est) mors repentina consequetur. Verùm, quoniam de pulsuum prouidentia medico sanguinem missuro prorsus necessaria, sermo breuis obscuritatem maximam, aut animi perplexitatem candido lectori molestam inducere potest, paulo altius de his agere incipiam, nihil præsenti instituto necessariũ omissurus. Est igitur pulsus (vt ab eius definitione exordium sumam) sensibilis motus cordis, & arteriarum, quo attolluntur, ac submittuntur: duplicis vsus gratia. Nam sublatione seu dilatatione (quam διαστολὴν Greci vocant) aër frigidus attrahitur: qui vitale robur excitat, & recreat. Submissione autem, seu contractione, συστολὴ Græcis dicta, quod ex humorum deustione velut fumidum excrementum fuerat contractum, expellitur. Vnde patet, sublationem illam, seu diastolem, inspirationi similimam esse. Systolem verò, seu submissionem, & quasi contractionē, expirationi. GAVT. Quonam pacto obsecro, ex motu arteriarũ etiam procul à corde dissitarũ, huius motum ex quo robur aut imbecillitas facultatis insitæ deprahendatur, coniectura assequi licet ? CAR. Super hac re

Gale-

Gale.audi,lib.de pulsi.ad medi.candida. Itaq; (inquit)omnes arteriȩ tum sibi inuicē,tum cordi modo pulsandi respondent. Quȩ profectò motuum concordia,caussa vna est, propter quam vnius tantum arteriæ motu diligenter obseruato, de sistole,& diastole tum cordis, tum arteriarum omnium, certò indicare licet. Non tamen vniuersarum motionem similiter quispiam percipere poterit, verùm,in particulis excarnibus euidentiùs,in carnosis obscuriùs. Hæc ille. GAVT. Vnde quæso,tanta pulsuum varietas originem ducere potest? Vix enim inuenias duos, aut sanos, aut ægros,quibus pulsus planè sint similes. CAR. Decem sunt capita, supremáque genera,ex quibus omnes istæ differentiæ pendent. In primis namque, à tempore motus tum cordis, tum arteriarum, tres sumuntur species pulsuum inter sese discrepantes. Vnus enim est velox, quo arteria modico tempore suam diastolem,atque systolem perficit, robustam facultatem, multámque inspirati aëris frigidi necessitatem, significas. Alter tardus huic oppositus,quòd per ipsum lōgo tempore mouetur arteria, imbecillitate virtutis,aut nulla necessitate vrgente,vel saltem exigua, quæ facultatem ad motum velocem cogere possit, excitatus. Tertius porrò, dictorum medius existit,quia mediocri tempore per hunc mouetur arteria, suámque pulsionem perficit. Qui sanè naturalis est, & veluti extremorum omnium iudex. Totidem differentiæ à quantitate diastoles arteriæ deriuantur. Corpus enim quum sit, trinam habeat dimensionem necessum est: nimirum longitudinem, latitudinem, atque profunditatem. Ergo, si pulsando longiùs quàm par sit, attollatur arteria, pulsus hic longus dicitur, cui breuis è diametro opponitur,vterque per collationem cum naturali discernendus. Fit autem longior, aut nimia arteriæ siccitate, aut certè colliquatione partium arteriis adiacentium. Breuior autem, caussis contrariis efficitur. Quamobrem, vtriusque istorum priusquam sanguis mittatur, habenda est prouidentia. Latus porrò pulsus, qui naturalem, seu mediocrem notabili arteriæ latitudine superat,à caussis externis, vt balneo frequentiore, nimiáve humectatione,proficiscitur. Huic opponitur strictus, arctúsque pulsus, naturali siccitate,vel casu quodam contingente. Profundus demum, is habendus cui humilis, & quasi superficiarius opponitur. Vterque autem, naturalis comparatione æstimandus venit. Sed altus, seu profundus,à mollitiæ arteriæ,aut aucta facultate, originem ducit. Humilis

autem

autem, caufsis contrariis efficitur. GAVT. Si pulſus vniuerſis iam commemoratis quantitatibus continuis, ſeu diuiſionibus, longitudine (inquam) latitudine, ac profunditate exuperet, aut à mediocri deficiat: qualis tandem cenſendus erit? CAR. Magnus, aut paruus. Siquidem priuſquàm pulſus ad tantam exuperantiam peruenerit, neceſſe eſt facultatem vitalem eſſe admodum robuſtam: natiuum calorem abundare, arteriam quoque ipſam promptiſsimè obedire, multam denique neceſsitatem vrgere: cuius etiam vel ſolius gratia, prudentiſsima natura nonnunquam tum velocitatem, tum frequentiam accerſit. Paruus verò, contrariis omnino rationibus dicitur. Qua de re, ante ſanguinis miſsionem iſtud quoque diſcrimen prouidendum: ne quid hac in parte peccetur. Si enim magnos pulſus deprehenderis, ſanguinem detrahe. Sin paruus, eiuſdem miſsione abſtineto. Tertia pulſuum differentia ex robore virtutis in corde reſidentis, ſumitur. Nam pulſus vehementes, aut languidos, aut horum medios efficit. Atque vehementes quidem, ſi manum medici validè feriunt, languidos, ſi remiſſè, mediocres porrò, ſi ad vtroſque proportionem ſeruant. Hoc autem pulſuum diſcrimen præ cæteris omnibus medico ſanguinē miſſuro prouidendum, imò (ſi factu poſsibile) ad vnguem tenendum. Quippe, quod & promptè, & tutò diſcerni poteſt. Vehementes namque pulſus, manúmque tangentis medici validè ferientes, facultatem robuſtam, nullámque præſentiam cauſſæ renitentis, oſtendunt. His ergo ita ſeſe habentibus, ceteríſque conſentientibus ſanguinis detractionem neutiquam verearis, nec multo minus in diem poſterum differas, propterea quòd per morbos (acutos præſertim) cito victus labaſcit, perítque huius tam excellentis remedij occaſio, quam diuus Hippocrates aph.1.lib.1. poſt multorum annorum in curandis morbis experimenta, præcipitē iure optimo pronunciauit. Languidi omnia his contraria oſtentant. Quippe, manui tangentis ægrū medici, nihil, aut parum admodum, renituntur. Qua vel ſola ratione, aut facultatem debilē, aut arteriam duriorem ſignificant, quibus attentè prouiſis, mittēdus ſanguis non eſt. Quartus fons è quo pulſuum diſcrimina ſcaturiunt, eſt arteriæ ſubſtantia, dura, mollis, aut mediocris, pulſus eiuſdē nominis procreans. Durum ſcilicet, quando primo occurſu arteria dura, & corij modò rigida, tāgenti medico σημειωτικὴν callenti (nam paucisſimi admodum callent, etiam ſi primo occurſu carpos ægrotantiū magna oſtentatione

ſibi

sibi palpandos præberi, iubeant) apparet. Fit autem hæc arteriæ duricies tum ob intensum frigus, tum etiam immodicam siccitatem: aut certè ob inflammationem, tensionem aut conuulsionem. Mollem verò vbi ob nimiam humiditatē, vel balneis frequentioribus, vel ciborum humectantiū vsu immodico, vel somno multo, vel larga, atque deliciis dedita victus ratione, aut comatibus, aut lethargis, aut hydrope generatam, arteria mollior quàm par sit, tactu deprehenditur. Qui autem horum est medius, secundum naturam sese habet: præcipuóque studio prouidendus, vtpote, sine cuius noticia vehementes, aut languidos discernere, haud licet. Quintum genus à quantitate humoris arteriæ cauitate comprehensi, sumitur: varias itidem species producens: nempe, plenum, vacuum & mediocrem. Vbi enim vel cibi abundantia, vel vini immoderata potio, vel humoris copia, arteriam distendunt, plenos pulsos efficiunt: fames verò, inedia, atque immoderata corporis tum vacuatio, tum inanitio, vacuos pulsus tangētibus medicis offerunt. Huic porrò generi comes est, quod à qualitate caloris corde, & arteriis contenti, sumitur, calidos pulsus caloris excessum demonstrantes, frigidos autem contra, qui scilicet eiusdem notabilem imminutionem denunciant, procreans. Septimum à tempore quietis, & interualli quod inter duos ictus mediat, sumendum est. Quod quidem, pulsus frequentes, raros, aut horum medios efficit. Nam, quibus ob multam necessitatem breue est hoc interstitium, frequentes vocari censuerunt: quemadmodum his aduersi, lōgius quietis spacium, vel ob multam frigiditatem, vel paruam admodum necessitatem habentes, rari nuncupantur: quorum in medio naturales prudenti medico ante sanguinis detractionem summa animi prouidentia contemplandi consistunt: Si enim (verbi gratia) nimia frigiditate arteriæ, vel sanguinis ea contēti rariores sunt, profectò, misso sanguine æger in lypothimiam incidet, raris nimirum pulsibus in formicantes conuersis, quos paulo pòst mors ipsa fit exceptura. Octauum caput, seu genus ex proportione tēporis ad tempus, quæ Græcis scriptoribus ῥυθμὸς dicitur, pendet: Cuius etiam duæ species à medicis constituuntur, nempe εὔρυθμος: & ἄρυθμος, hoc est consonus, & dissonus, seu concinuus: & inconcinuus, seu male consonans: Eurithmus autem est, qui singulis ætatibus debitam proportionem seruat, vtpote à proba corporis temperie causatus: Arythmus verò qui non qualem oportet temporis

poris ad tempus , ſeu mauis ætatis ad ætatem proportionem ſeruat, nimirum ab intemperie aliqua (præſertim calidiore) excitatus : Huius autem poſterioris variæ ſpecies, contemplationem medicam deſiderant. Nam vnus ab intemperie nondum morboſa, producitur: qua etiam ratione παράρυθμος Græcis medicis vocatur. Alter verò eiſdem ſcriptoribus ἑτερόρυθμος nuncupatur, quòd ſcilicet nihil offerat, quod ab alia ætate non mutuarit. Nam (teſte Galeno lib. de pulſibus, ad medicinæ candi.) ſingulis ætatibus ſui, adeóque naturales pulſus adſunt. Tertius demum ἐκρύθμος eiſdem autoribus vocatur, non (me hercle) quod nullam penitus proportionem temporis ad tempus teneat (Id enim factu impoſsibile) ſed quoniam nihil in eo percipere, vel etiam prudentiſsimo licet medico, quod vel ætati præſenti vel præteritę, vel conſequentibus conuenire poſsit. Hoc genus mox ſequitur , quod ab æqualitate, vel inæqualitate prædictorum omnium pendet : contemplandúmque venit , priuſquam ſecta vena ſanguis mittatur. Quidam enim pulſuum , in pulſatione, alij verò in pluribus ſunt æquales : quorum profectò æqualitas Latinis collectiua, Græcis autem συστηματικὴ dicitur. Huius autem æqualitatis prouidum eſſe medicum, vel hoc potiſsimum nomine conuenit, quod maximè ſecundum naturam habeatur, & ſit. Nam, niſi viribus integris hanc conſiſtere, pro impoſsibili penitus habendum : quum in ipſa ceteræ omnes pulſuum differentiæ pares ſint. Inæqualitas verò huic oppoſita, à ſapiente medico ex temperamenti natura receſſu promptè cognoſcitur. Oppreſſa enim facultate vitali, vel deficit, vel intercidit pulſus, aut eadem debili quidē, ſed adhuc morbo renitente, recurrit: fiúntque tres inæqualitatis ſpecies, quibus incurrentes, & vnico ictu mutili, tabe partium arteriis vicinarum, aut inflammatione non ſoluta excitati, ſuccedunt. Vbi etiam primum pulſum ſecundo maiorem, & tectum hoc multo minorem, atque ita deinceps, cuiuis perito medico dignoſcere licebit. His accedunt qui ob calorem febrilem, aut exuperantem putredinem : caprizantes dicuntur. Quibus ſe iungunt δίκροτοι, id eſt bis ferientes : & pulſantes, ob intenſam nimirum arteriæ duriciem, aut validam cordis virtutem. Sequuntur vndoſi, ex frigidis humidiſque morbis, vt hydrope anaſarca, lethargo, apoplexia, grauedine, raucedine, coriza, originem ducentes. Quos immediatè comitantur vermiculantes, ac formicantes : ab animalium

lium methaphora veteribus medicis ita vocati. Nam vermiculantes à facultate diſſolui incipiente, ſed pauxillum adhuc reluctante cauſati: vndoſis inſigniter minutis ſuccedunt. Formidantes vero, à facultate vitali extremè lapſa, nec amplius vel tantillum reſiſtente morbo, generantur: ſúntque admodum parui (inſtar formicæ) & omnium languidiſsimi: ac creberrimi, ſæpiúſque letales. His adduntur hectici pulſus, à ſimilitudine febris ita vocati. Vt enim hectica ſui ſimilis ab initio perſeuerat, & nunquam ſoluitur: totius ſcilicet corporis habitu ægrotante, & in morbum conuerſo: ita neque pulſus hectici, à tabe præſertim, & notabili corporis macie excitati. Conuulſiui autem pulſus dicti, ad inflammationem cerebri, aut eiuſdem extremam refrigerationem accidunt. Qua de cauſſa, medicum ad curandos conuulſos vocatum, prudenter conuulſionis cauſſam tenere oportet. Si namque ab extremo frigore cerebri facta eſt conuulſio, ſanguinem ne detrahito: quia refrigerando magis, calorem natiuum extingues: & confeſtim morietur æger. Sin ab inflammatione eiuſdem, ceteris ſcopis conſentientibus, audenter venam ſecato: hoc enim præſidio caloris vehementiam minues, ægrumque ipſum non mediocriter iuueris. Prædictis inæqualibus adduntur turbulenti, & ſerrati: puorum iſti partium neruoſarum inflammationes comitantur, illi verò, neceſsitate magna vrgente, magnam quoque diaſtolem vitali facultate adhuc integra, requirunt. Decimum, ac poſtremum genus pulſuũ ab ordine & inordinatione ſumitur. Cuius ſpecies ſunt, pulſus ordinatus in paritate circuituum conſiſtens: & inordinatus in eorundem imparitate conſtitutus, de quibus (vt præcedentibus omnibus) iſta obiter nunc tractaſſe, operæ precium mihi viſum eſt: quo iuuenes adhuc medici, ante ſanguinis vacuationem generalem quandam de pulſibus noticiam haberent: eámque ſufficientem, donec Galeni de pulſibus libros accuratiſsimè conſcriptos perlegerint. Ex his enim, non modo generales, verumetiam ſpeciales mutationis, ac varietis pulſuum cauſſas, vnà cum ante expulſibus futura in morbis prædicendi: ac præſagiendi, percepturi ſunt. GAVT. Appetitu conſtante, naturales facultates adhuc ſe bellè ſatis habere, ſuperius demonſtraſti: verum, an alia quoque grauiora ſigna deſiderari par ſit: ex te ſcire cupio. CAR. Rectè. Nam præter huius appetitus conſtantiam, proba alimenti coctio, totiuſque corporis bella nutritio, color floridus, & excremento-

rum tempestiua derectio: non oscitanter consideranda, necnon ante sanguinis vacuationem prouidenda vtpote quæ vires naturales integras testantur. Iam habes suauissime Gautere, quo artificio vires facultatum nostra corpora dispensantium metiendę sunt, quibúsque modis tres illos primarios sanguinis mittendi scopos examinare conueniat. Superest itaque, vt communibus ac primis satis supérque explicatis, ad speciales quos secundarios dicebamus, sermonis nostri rationem speculatiuam vertamus. Prudens ergo medicus, vt hinc exordiar, præter morbi magnitudinem, ætatem florentem, vires postremo sufficientes, ipsum ægri temperamentum, vel natiuum, vel acquisititium, præ oculis semper habeat: eique noscendo priusquam venam secet, prouideat. Nam, calidis naturis (teste Hippocrate lib. 6. Epide. 5.) refrigeratio, aquæ potio, & quies conueniunt. Quam quidem sententiam, Galenus sanit.tuend.8.Meth. pro summi ingenij sui viribus confirmat. Quam ob rem, talibus temperaturis venæ sectio prodest, vtpote quæ non modo peccantem qualitate, aut quantitate, aut vtrisque simul sanguinem vacuet: sed etiam totum corpus refrigeret, præsertim, si affatim, morbo postulante, mittatur. In frigidis autem naturis contra, vel nullus, vel sanè parcior sanguis mittendus venit. Habitus præterea corporum ægrotantium ante venæ sectionem obseruandi, ac prouidendi sunt: si nimirum graciles, aut crassi, rari, vel densi, fuerint. Nam (vt teste sentit Galenus lib. contra Erasist.lib.1.de art.cur.ad Glauc. cap.14.) qui carne dura, & densa sunt præditi, non facilè patiuntur: etiam si perfectè vacuentur. Qui verò carnem mollem, laxam, raram, tenellam, ac multum diffluentem habent: mirum in modum ad patiendum sunt habiles. Quare, etsi reliqua omnia consentiunt, tamen his sanguis non est mittendus: sed aliis vacuationibus quam moderatè, & consideratè fieri potest, vtendum. GAVT. In talibus ergo naturis prorsúsne phlebotomia abstinendum? CAR. Neutiquam. Galenus enim tantum illic verba de perfecta sanguinis vacuatione facit, qua quidem, quantum affectus ipse postulat: mittitur, quam etiam talibus corporum habitibus rectè conuenire, negat. Non interim per Iouem, mediocrem huius succi vacuationem, quem nonnulli ventillationem hodie vocare consueuerunt, damnans. Hac enim rite peracta, quod molestum erit, multo clementioribus medicamentis (talia namque molles raræque maturæ desiderant) vacuare licebit.

Sexus

Sexus quoque prouidentia, non contemnenda. Nam, viri magna ex parte mulieribus tum fortiores, tum calidiores, maiorem ſanguinis (vrgente neceſsitate) copiam vacuari, promittunt. Quamquam non deſunt mulierculæ pleriſque, viris perferenda venæ ſectione animoſiores: vt in vxore tua ſæpius experti ſumus, quæ frequentibus ophtalmiis afflicta, ſanguinis miſsionem conſtantiſsimè pertulit. Præſentia quoque, præterita, atque futura corporis ægrotantis ſymptomata, oculis pluſquam linceis, ſunt intuenda, ſummáque animi attentione prouidenda. Quis enim adeo temerarius fuerit, qui acceſsionis tempore (quo Hippocrates Apho. 11. lib. 1. & 18. eiuſdem. cibo abſtinendum monet) ſanguinis detractionem imperet? Adde, quod etiam extra acceſsiones, alimento iam ſumpto: nondúmque bellè percocto, venam ſecare, nefas putat Galenus cap. 6. lib. de cur.rat. per ſang.miſsio. quod ſcilicet, in locum vacuati ſanguinis: ſuccus adhuc crudus ſuccedit, & primis venis, ſeu hepatis ſubſtantia contentus, putreſcit. Qua etiam de cauſſa, intemperantes, vinoſos, & gulæ deditos: neque purgatione, neque ſanguinis miſsione multum iuuari cap. 7. eiuſdem ſcripſit: propterea quod per vitæ intemperantiam, crudorum ſuccorum copiam, ociſsimè colligunt. Cuius rei gratia, ſuo genio relinquendi, & ne manum quidem illis admonere tentandum: ne fortè apud vulgus infamentur præſidia, quæ multis fuere ſaluti. Præterea, ſi quis iam ita ſit concitatus, atque perturbatus: quis quæſo, illi (ſanguine in corde feruente) venam ſecuerit? Si etiam ſudat, aut balneo, aut exercitatione Platonica vſus, immoderatè calet: an non huic tutò, & ſine vitæ deſcrimine, ſanguinem mitti poſſe crediderit? Quanta porrò præteritorum prouidentia, medico ſanguinem miſſuro habenda ſit, ipſa ratio per ſe docet. Si enim quiſpiam (tribus etiam ſcopis primis conſentientibus) hæmorrhagiam largam, atque copioſam nuper paſſus fuerit: aut hæmorrhoides ſupra modum fluxerint, nonne huic ſanguinem mitti iuſtum eſt? Meo quidem iudicio, neutiquam. Sicut neque mulieribus grauidis, aut quæ paucis à diebus pepererunt: aut menſtrua largiora paſſæ ſunt: His enim (præſertim grauidis, vteróque gerentibus) vena ſecta, letales caſus accidunt. Siquidem, poſt ſanguinis detractionem abortiunt: eóq; in motu violento, non modo fœtus: ſed & ipſa quoq; fœmina, ſeu mater: inſigniter læditur. Præter hæc quæ diximus vniuerſa, Gale. 8. Meth. lenem cliſterem antequam ſecetur vena,

infundi iubet, veritus nimirum, ne ſi aluo excrementis oppleta, mittatur ſanguis aliquid impurioris, corruptiq; ſucci, per venas meſaraicas ex inteſtinis trahatur, & in hepar tandem mittatur: eiúſque ſubſtantiam alteret, atque ſanguinis, maſſam vitiet. Si autem æger ænema reſpuit, leui purgatione pridie vtendum, aut etiam ipſomet die, ſi res ipſa poſtulet, vrgeátque neceſsitas: futurorum quoque maxima habenda ratio, prouidentiáque venit. Si namque, febris acceſsio imminet, aut iter ſuſcipiendum, aut laborioſum quidpiam ſubeundum, quis quæſo ſanguinis detractionem tentauerit vnquam? GAVT. Hæc quæ dixiſti vniuerſa, rationi penitus conſentire fateor. Verùm, de tempore mittendi ſanguinis inter ſe contendunt medici. Quibuſdam religioſè matutinum poſt mediocrem ſolis ſupra noſtrum Horizonta eleuationem, ieiuno adhuc ventriculo ſolùm recipientibus. Alij, à meridie, imò etiam ſole ad occaſum iam tendente, venam ſecare non formidant. Noctem vtrique reſpuunt, quæ tamen nonnullis venæ ſectioni non incommoda videtur: præſertim ſi affectus vrget. Quid igitur, in hac controuerſia ſequendum, iudicas? CAR. Tametſi, tempus iſtud de quo ſtatuendo me ſollicitas, non medicum duntaxat: ſed etiam aſtrorum ſcientiæ peritiſsimum virum, quem Hermes Triſmegiſtus lib. Iatromathematices ἰατρομαθηματικὴν rectè nuncupat, deſideret: dicam tamen, quid in re tanta prouidendum cenſeo. Galenique ſummi tum medici, tum aſtrologi autoritatem, ca. 21. lib. de cur. rat. per ſang. miſsio. in primis adferam. Sed enim (inquit) quid in ipſo rurſum die in quo ſanguinem mittimus, expectanda ſit febris declinatio: clarere ſatis arbitror, quamquam, id quibuſdam non ſatis ſit notum, qui manè tantùm ſecandam eſſe venam, aut ad ſummum in horam vſque quintam, aut ſextam, exiſtimant. Verùm, ſi quis memoria teneat, quæ toto ſupra libro ſunt dicta: nihil tale committet, ſanguinem detrahens quauis diei, noctiſque hora: ſcopum ſibi proponens, in febriẽtibus quidem particularim circuituum declinationem. In quibus autem, vel ob oculorum lippitudinem, aut aliud ſimile (citra febrem) hoc opus eſt auxilio, non declinationem omnino præſentis febris: ſed magnitudinem, aut doloris, aut phlegmones, aut totius affectus in quo ſecta vena opus eſt, inſpicere conuenit. Idem quoque cap. 11. lib. eiuſdem, confirmans, ita ſcriptum reliquit. In ſanguinis feruentis copia, vt per febres ardentes: ſtatim ſanguis affatim mittendus, priuſquam in

partem

partem aliquam principem irruat: quare, nec per noctem sanguinem mittere verearis. Nullo autem eiusdmodi vrgente, vel prohibente, præstat mane venam incidere, haud protinus à somno excitis, verùm circiter horam vnam iam vigilantibus. GAVT. Quintam illam, aut sextam horam, si lubet, ostende. nam, æstate sol oriens vtramque præuenit: hyeme verò, sequitur. Prçterea, omnes quotquot sunt celebris nominis hac temporum tempestate medici horam septimam, octauam, aut nonam matutinam, celebrant. Qua de caussa, videntur Galeni sententiam non satis percepisse. CAR. Astrorum scientia hîc, vt in omnibus ferè Galeni præclarissimis scriptis, opus est. Nam, Asiatici qualis erat Pergamus ille doctor, horologiis non vulgaribus, vt nostris, sed Horizontalibus vtebantur: primámque diei horam orienti soli tribuebant. Verùm, quum solem assiduè moueri, neque semper eadem cœli parte emergentem conspicerent, ad æquinoctia confugere, & diem artificialem à primo horæ septimę minuto auspicari, compulsi sunt. Illis itaque nostra septima hora matutina, prima diei existebat: Quam ob rem, quinta, vndecima, & sexta, duodecima: Hanc autem rationem, atque numerum horarium Asiaticos recepisse, diuinæ etiam historiæ abundè testantur, quibus discere licet, Christum seruatorem animarum nostrarum, hora nona expirasse, quæ reuera est nostra tertia pomeridiana. GAVT. Hæc Galeni scripta, satis supérque quauis tum diei, tum noctis hora, vrgente affectu, sanguinem mittendum, suadent: sed numerum dierum non definiunt, in quo tamen grauis admodum est contentio. Platearius enim, & Celsus, diem quartum extremum venæ secandæ terminum constituunt: Alij, tertium, quo nimirũ morbi natura clarè perspici solet. Reliqui demum, primo ipso die venam secari, prudentiùs factum existimant. CAR. Si viribus adhuc integris animum intendunt, eásque nisi cito sanguis mittatur, collapsuras metuunt, arguendi non sunt. Sin 5.8.10. aut etiam 20. die virtutem adhuc sufficientem è pulsibus depræhendunt: omissa ac neglecta venæ sectione, grauiter arguendi veniunt, propterea quòd (vel ipso Galeno teste ca. 20. lib. de cur. rat. per sang. miss.) quocunq; die mittendi sanguinis scopi in laborante comperiuntur, eoipso vena secanda, etiam si vel 20. ab initio extiterit. Neque velim quempiam suspicari, hæc quidem scripta: sed medicorum principibus nunquam vsu celebrata fuisse. Hippocrates enim, lib. 3. Epid. Anaxionen in

Abderis iuxta portas thracias habitantem, & morbo laterali correptum, octauo die secta cubili vena interiore, illum tandem sanitari restituit. Galenus quoque, cap.17.lib. de cur. rat. per sang.miss. œconomum diuitis in suburbiis Romæ habitantis, 20.iam totis diebus fluxione in oculos discrutiatum, & cæcitatis periculo imperitia medici sanguifugi proximum, vena secta, post triduum valetudini pristinæ reddidit: Quamobrẽ vt rectè sentit Galenus cap.20.eiusdem 9.meth.2.ad Glauc.non numero dierum: sed viribus adhuc integris mentem adhibere oportet, vtpote quorum prouidentia ceteris præhabenda. Quin, & situs partis affectæ contemplandus. Hic enim loca conuenientia, seu venas quibus sanguis vacuandus erit, facilè commonstrabit. Quod quidem, Pergamenus ille doctor cap. 17. lib.de curandi rat.per sang.miss.ingenuè expressit. Itaque, dolentibus oculis, humeralis vocata vena, quæque ex ea deriuata est, in cubito incisæ luculentum celeriter commodum adferunt. Dolente verò latere, aut pulmone, aut septo transuerso, aut liene, aut iecore, aut ventriculo, ea quæ per alas ad cubiti iuncturam pertingit. Et paulo pòst: Igitur interior vtilis est iis, quibus partes collo inferiores patiuntur. Exterior verò (cephalicam hodie vocant sicut interiorem basilicam) quibus partes collo superiores afficiuntur malè: vt caput, & facies denique tota. Si verò partes prædictis omnibus inferiores, vt coxendix, vterus, vesica, & similes, dolent: estque opus venæ sectione, poplitis, aut malleoli vena secanda. Renum verò affectus medio loco ambigunt. Hac autem venæ multiplici sectione facta, duo singulariter sunt vitanda: nempe cibus & somnus. GAVT. Quum vires secta vena minuantur, cibo verò & somno restaurentur, quidnam his vti vetat? CAR. Rectè interrogas: Verùm, si quis mox à venæ sectione cibum sumpserit: hepar inanitum illum confestim ad se (quamuis crudum) trahet: neque ex eo sanguis vtilis generabitur vnquam. Somnus verò, quàm sit perniciosus, ratio ipsa demonstrat. Nam si sanis diurnus obest, quid de ægris phlebotomiam nunc passis censes? GAVT. Istorum caussas à te discere cupio. CAR. Somni tempestiui multa esse commoda, inficias ire non possum. Nam & cibos probè conficit, humores concoquit, animi mœrores obliuione inducta, delet: mentisque insaniam corrigit. Intempestiuus autem contraria penitus efficit. Vnde Hippocra.2.prog.11. interdiu vigilare, noctu verò dormire oportet. Aetius quoque lib.

lib. 9. cap. 39. à prandio deambulationibus indulgendum: & animi quædam laxamenta adhibenda, somnósque diurnos noxios esse, nisi lassitudinis sensus adsit: aut præcedente nocte nihil, aut parum dormierit quispiam, rectissimè docet. Hic enim diurnus somnus, superflua humiditate cerebrum grauat: satis supérque alioqui humidum, cuíque vigiliæ somnis longiores, naturæ ratione magis conueniunt. Ad hæc facit, quod perfectò alimenti coctioni tempus somni diurni neutiquam sufficit. Cuius rei gratia, videas talium hominum capita, somno soluto grauari: & vix tandem ad symmetriam, proportionémque iustam posse reduci: vt abundè testantur grauedines, rancedines, aliaque id genus mala inde profecta. Postremò, venæ sectio (vt iam multis locis probauimus) corpus refrigerat, & humectat, quæ eadem præstat somnus: His ergo duobus iunctis, profectò, non modicum natiui caloris, spiritalísque illius substantiæ, quam, vitalem passim dicunt, suffocandæ, & extinguendæ periculum, imminet. Quibus sanè de caussis, prudentiores medici Galeni 10. Metho. consilium sequuti, vtroque, nempe cibo, & somno, venæ sectionem perpessis ad horas duas interdicunt. Verùm, vtilius fortasse fuerit, tanti autoris verba recensere, quæ sic habent. Ante venæ sectionem clyster expedit vsualis, ad liberandas obstructiones, si quæ sint in corpore: id tamen in regionibus calidis: Nam, in frigidis laconicum melius est. Item, Misso sanguine, cibus non est sumendus ante duas horas, neque dormiendum: Post duas verò horas, oximeli simplex est vtile: cuius descriptionem idem autor lib. 4. sanit. tuendæ. doctissimè, & artificiosissimè scriptam reliquit. Porrò, mensuram mittendi sanguinis, vt ex pulsuum lapsu, coloris mutatione, arteriarum (fluente adhuc sanguine) contactu, faciei, vultúsque inspectione, animaduertere liceat: quum de mediocritate hic statuenda tractabamus, satis supérque demonstrauimus. Quamquam me non lateat, veteres illos adeóque principes medicos: Hippocratem inquam, & Gale. cap. 17. de cur rat. per sang. missio. multo nobis in mittendo sanguine audaciores fuisse. Nam, Galenus vna detractione tres libras exhausit: altera verò vnam. GAVT. Quisnam obsecro, tantam optimi succi missionem tolerare potuit. CAR. Diuitis cuiusdam œconomus. Quin, & pueris post 14. annum. Galenus vrgente necessitate ad cotilam vnam prima vacuatione, secunda verò ad dimidiam eiusdem, sanguinem detrahi permit-

tebat. Quam ſane menſuram, nullus medicorum hac noſtra tempeſtate etiam celebrium, conſtituere audeat. Siquidem, κοτύλη Græcis dicta, vncias 9. comprehendebat: vti Galen. lib. 1. comp. ph. par. lib. 5. comp. ph. part. ipſiúſque expoſitores Heras, & Soranus, euidentiſsimè monſtrarunt. Adde ſi lubet, præclarum illud Galeni cap. 14. lib. de cur. rat. per ſang. miſsio. Memini (inquit) quibuſdam ad ſex vſque libras ſanguinem detractum fuiſſe, ita vt febris extingueretur protinus: nec vlla ſequeretur virium afflictio. Verùm, habita noſtrorum temporum ratione, tutius eſt infra modum veterum conſiſtere: necnon mittendi ſanguinis menſuram, noſtris temporibus, regionibus: ac denique temperaturis tum ob alterum, ac varium cœli ſtatum, conſtitutionémque, tum vitæ conſuetudinem ab antiqua plurium diſtantẽ accommodare. GAVT. Quando in cõſuetudinis ſermonẽ incidimus, quid quæſo de his cenſes, qui pro more quotannis vel eodem ſæpius anno ſanguinẽ ſibi mitti volunt. Nam, iſtorum pleriq;, à magnis morbis ſæpius ſecta vena liberantur: Alij verò, eoſdem impendentes præcauent. CAR. Magnis morbis aut præſentibus, aut imminentibus, ſanguinis detractionem ſummopere conducere, fateor: Verùm, frequentem illam miſsionem, aut vitæ, aut valetudini tuendæ quicquam conferre, non modo Galeni rationibus, ſed ipſa quoque experientia fultus, negare poſſum. Nam, vna cum ſanguine vitalis ſpiritus excernitur: & ſi copioſius abſumitur, tota ſanguinis moles frigidior efficitur, operáque naturalia deterius perficiuntur. Animaduerti quoque, horum plurimos florentibus quidem annis venæ ſectionem iteratam innoxiè pertuliſſe, verùm, hac ratione tandem imbecilliores facti, illam ipſam penitus abhorruerunt, & in morbos vix ſanabiles præcipitati, miſerè perierunt. Quare (non vrgente neceſsitate) ad hanc frequentem ſanguinis miſsionem confugere, temerarium prorſus cenſeo. Sunt namque plurima, eáque præſtantiſsima pharmaca, quibus hæc crebra venæ ſectio ſuppleri poteſt. Cuius rei gratia, his (recurrentibus etiam morbis) vti, multo tutius eſt, quàm naturæ robur temere diſſoluere. Regionis quoque in qua degit æger, ſumma prouidentia medico ſanguinem miſſuro habẽda: Nam, pro huius varietate venæ ſectionis conſilium mutari, par eſt. GAVT. Vnde obſecro, Caruine, tanta regionum ambientis multiplici conſtitutione diſsidentium profecta varietas? Quædam enim, exceſſu caloris velut torrentur: neque commodè habitari

poſſunt:

poſſunt: vt Arabia illa quam deſertã appellant. Aliæ, ob aëris frigus intenſiſsimum, ægrè, aut certe nulla conditione, incolas recipiunt: ſed perpetuis niuibus obductæ, & quaſi congelatæ, perſeuerant. Qualem extremam Schytiam vbi Ryphæi accepimus. Reliquæ verò temperatæ magis, ac minus, pro vario acceſſu, aut receſſu ab extremis, incolas benignè admittunt: eíſque vniuerſæ vitæ tum aliměta, tum medicaměta neceſſaria, largiſſima manu ſuppeditant. GAR. Gaudeo profectò, ſatis lucis nobis ad doctiſsimæ quæſtionis tuæ ſolutioně ſupereſſe. Cuius rei gratia, quid in re tam ſeria: támque admirabili ſentiam, audi. GAVT. Lubentiſsimè. CAR. Maiores noſtri, ſapientiſsimi profectò, hanc regionum varietatem nocte diéque obſeruantes: ex vario cœli ad has mundi partes infimas aſpectu eam proficiſci, tandem cognouerunt. Quum enim, ſol perpetuò ſub ecclíptica (licet obliquè admodum) moueatur, ſitque tum caloris tum generationis principium: rationi conſonum videtur, vt quas ipſe directius aſpicit, ſuóſque radios minus obliquos illis imprimit, calidiore aëre, quemadmodum procul diſtantes à Zodiaco, frigidiore fruantur. Quibus etiam de cauſsis adducti, cœlum ipſum in quinque partes inſigniores, quas zonas, & veluti cingula dixere, partiti ſunt. GAVT. Quo modo tam vaſtum creatoris opus, ambitu non ſolùm orbes planetarum: verumetiam elementa 4. cunctáque ex eiſdem contemperatis, generata continentur, ita diuidere potuerunt? CAR. Iſtud non re ipſa, ſed mathematica abſtractione factum eſt: imaginatis ſcilicet 4. ſphæræ mundi circulis minoribus, & certè inæqualibus, nec à ſeinuicem æquè diſtantibus, parallelis tamen: Quorum duo annuas ſolis conuerſiones oſtendunt, vnde etiam τροπικοὶ κύκλοι à Proclo lib. de ſphæra dicuntur, æquales inter ſe, quorum diſtantiam æquator bifariam diſpeſcit: Alij verò polares vocitantur, quòd circa mundi vertices, qui ab eodem πολοὶ, ἀπὸ τοῦ πολεῖν, id eſt vertendo, dicuntur, per polos eclipticæ paribus deſcribuntur interuallis (vt rectè demonſtrat Orontius præceptor meus lib. 2. coſmographiæ) ipſorum polorum deuiationem, ſeu diſtantiam limitantes. Nam, quanta eſt maxima ſolis ab æquatore deuiatio, ſeu declinatio: tanta profectò polorum mundi à polis zodiaci, nempe gr̃. 23.30. m̃. Totum ergo illud cœli ſpacium, quod geminis tropicis intercipitur: tertia, ſeu media zona vocatur, latitudinem geminatæ ſolis maximæ declinationi æquam, vtpote gr̃. 47. obtinens.

Quod autem à polo mundi arctico ad paralellum proximũ interiacet ſpacium, prima zona dicitur. Cuius ſanè latitudo, 23. gr̃.30.m̃.exiſtit: æqualis nimirum maximæ ſolis aut æſtiuæ, aut hybernæ deuiationi, quemadmodum huic è diametro oppoſitum, ab antarctico vertice ad parallelum proximum, quinta ſeu poſtrema zona nuncupatur. Iſtæ porrò duæ, nempe prima, & poſtrema, æquales omnino ſunt. Si verò eas copulaueris, æquabuntur tertiæ, ſeu mediæ. Secunda autem, & quarta, à punctis ſolſtitiorum ad circulos polares protenduntur: æquales quidem inter ſe, ceteris verò tribus inæquales. Nam, à tropico cancri ad polarem circulum noſtrum, gr̃. 43. numerantur. Totidem rurſus à puncto hyberni ſolſtitij, ſeu initio capricorni, ad polarem parallelum huic oppoſitum, fitque omnium ſimul zonarum à polo in polum protenſa latitudo, 180. gr̃. 90. ſcilicet in borealibus, & totidẽ in auſtralibus oppoſitis. Quibus ita ſeſe habentibus, neceſſe eſt omnino, extremas illas circa mundi polos comprænhenſas, nimias quidem: ſed nimio frigore aut prorſus, aut ſanè non commodè habitabiles, fateri: quippe, & à ſeſe plurimum diſtant: & à ſole, & obliquiſsima radiorum ipſius proiectione, atque reflexione circumluſtrantur. Cuius rei gratia, maximum, & extremum frigus illis adeſſe, certiſsimum eſt: vtpote, cauſsis calorificis aut nullis, aut exiguis illuc pertingentibus. Media poſtremo, quam geminis tropicis interceptam diximus: ſub æquatore illam bifariam diuidente commodè habitari poſſe, videtur. Illic enim perpetuò exiſtente æquinoctio, quantum preſentia ſolis nec incaluit, tantundem illius abſentia refrigeratur: qua de re, temperatus manet. Adde ſi lubet, quòd ea in parte, ſol ad motum vniuerſi velociſsimè rapitur: qua profectò de cauſſa, ipſius radij altius imprimi nequeunt. Sub tropicis verò, calore nimio diſtemperata hæc zona, commodam habitationem præbere nequit: quòd dies æſtiui longiſsimi, noctes autem breuiſsimæ ſunt. Mora quoque ſolis ſupra horizontem, & directa irradiatio, intolerabile caloris incrementum: & exceſſum in ambiente excitare poſſunt. Reliquæ porrò, circulis polaribus, & tropicis limitatæ: pro temperatis, non tamen ex æquo, ſed in medio ab extremis receſſu, haberi debent: quia nimirum vtrimque circunſtantium æqualem ferè caloris, ac frigoris portionem recipiunt, vt noſtræ habitabilis (auſtralem omittamus) vrbes plurimæ, demonſtrant. In Hiſpaniis quidem Valentia, ciuitas latitudi

titudinis 36.gr̃. In Sicilia, Palerna, 39.gr̃. In Italia Roma, 42. gr̃. In Gallia aquitanica, ciuitas Tolosa metropolis, latitudinis 42.gr̃.50.m̃. Noster quoque Mons Albanus, polum 43. gr̃. 30.m̃. eleuatum habens. In Gallia Narbonensi Auinio, latitudinis 43.gr̃.15.m̃. In Celtica verò, Lutetia, latitudinis 48. gr̃. 40. m̃. Lugdunum, 45.gr̃.15.m̃. Aurelia, 47.gr̃.30.m̃. In quibus omnibus quàm commodè viuitur, nemo est Europæ medicorum, quem latere credam. Prouidus ergo medicus, situm regionis, & latitudinem, seu eleuationem poli vrbis in qua medicinam facit, propriis digitis notiorem habeat, oportet: vt nimirum, quæ quibus de caussis, aut calidiores, aut frigidiores sunt, intelligat. Nam, vti rectè sentit Galenus lib. 1. ad Glauc. cap. 14. in calidioribus regionibus (præsertim æstate) corpora multum apertis poris transpirant: ac difflantur: qua de re, paucus admodum (etiam vrgente affectu) sanguis mittendus, propterea quòd eodem autore, omnes ægri, quibus medici de temporum statu nihil cogitantes, sanguinem miserunt, periere. In frigidioribus contra, meatus cutis minimè patent: quare, nec multum vel caloris natiui, vel vitalis spiritus, exhalat. Cuius quidem rei gratia, ceteris scopis consentientibus, etiam copiosus sanguis (nisi fortè affectus frigidus hibernis mensibus sæuierit) tuto mittitur. In temperatis autem quas dicebamus, plus paulo quàm calidioribus, minus verò quàm frigidioribus mitti, si Galeno lib. 9. Meth. & initio 10. creditur, ratio ipsa postulat. Sic autem habet ipsius dictio. Sanè, erunt in hac quoque detractione multi scopi medico spectandi. Natura ab initio, consuetudo, ætas, locus habitationis, anni tempus, cœli status. Principio verò sequentis libri suæ mentis cogitationem explicans, Itaque (inquit) in diariis faciendorum indicationem ex ipsa febre maximè capiemus, sed cum illa naturam, & ætatem, & consuetudinem. Præterea anni tempus, cœli statum, & regionem, & vires simul expendentes. Item, 11. Meth. Si cui sanguis mittitur, 30. annos natus sit, sed albus, laxus, mollis, gracilibúsque venis, huic aut planè sanguinem non mittes, aut parum detrahes. Et omnino quidem non detrahes, tempore æstiuo, regione æstuosa, & cœli statu calido sicco. Parum detrahes in reliquis, tum anni temporibus, tum regione, tum cœli statu. Quibus Galenus apertè demonstrat, regionum varietates ante sanguinis missionẽ exactè prænoscendas: ne scilicet imperitia cosmographiæ multa & iniquè, & turpiter admittantur.

tantur. Verùm, prohdolor, quotusquisque est hodie, qui nedum regionis, verùm cœlestis constitutionis rationem aut habeat: aut habere didicerit? Ipsum quoque lib. de cur. rat. per sang. missio. cap. 6. confirmans, asserit quod ætate nec puerili, nec senili: sed florente, & adhuc vigente, inito consilio venæ sectionis, virium robur, naturalis corporis habitus, tempus anni, regio, vitáque anteacta, & alia id genus medico sunt haud oscitanter prouidenda. GAVT. Quare ergo hanc regionum varietatem tantopere prudenti medico necessariam, nusquam copiosiùs expressit? CAR. Ille actum ageret, atque summis astrologis accuratissimè descripta frustra repeteret: arbitratus nimirum, tam impium aut impudentem fore neminem, qui suis scriptis vel obiter perlectis, medicinam ab astrorum scientia disiunctam facere, non erubesceret. Neque tamen velim, omnes aut Ptolemæos, aut Alphonsos, aut Stofleros, aut Regiomontanos, aut Copernicos, aut Sconeros, aut Orontios (quamquam id longe optimum foret) esse: verùm ea saltem astrologiæ præcepta callere, quibus medendi scientia destitui, nec debet, nec potest. Qualia in primis sunt ea theoremata, quibus regionum diuersitatis caussæ, necnon cœli constitutio, quam ante sectam venam Galenus religiosè obseruandam monet, certa demonstratione cognosci possunt. Neque enim pulchrum est medico (instar vulgi) mutationes aêris dum fiunt, aut iam factæ sunt, duntaxat nouerit. Verùm, multò prius quàm accidant, præuideat oportet. Cuius rei mihi locupletissimus testis est Galenus lib. de cur. rat. per sang. missio. cap. 14. cuius verba (ne quis mea partem in deteriorem vertat) referam. Non tantùm (inquit) præsens aëris temperies, sed etiam qualis misso sanguine futura sit, medico prouidendum. Si enim futurum æstum, eúmque vehementem præsenserit: minus profectò quàm affectus postulat, vacuabit. Quod namque superest, ambientis calore promptè transpirabit. Quum igitur, aêris mutationes à cœli vario statu pendeant, amborum prouidentia medico rationali sanguinem missuro, prorsus est necessaria. GAVT. Arbitrabar, prognostica quæ variis autoribus variè calculata, quotannis venalia proclamantur, his rebus noscendis sufficere. Plerique enim omnes cuiusuis conditionis homines, ea vel loculis occulta, secum assiduè gestant, vel domorum suorum parietibus affixa, seu agglutinata, iugiter contemplantur: atque illinc futurum cœli statum, & ambiētis mutationes se cognoscere posse,

credunt. CAR. Quàm sint vana, atque fallacia quæ ab istis circunferuntur præsagia, non tantùm experientia, sed ipsa quoque ratio demonstrat. Quis enim adeo stolidus, qui hæc vniuersa calculo festorum dierum: nundinis insuper Lugdunensibus, ac lunæ quadraturis potius, quàm locis planetarum, siderúmque noscendis aptata, non deprahendit? Quum interea, reperire plerosque ruricolas, ac pastores liceat, qui dies festos, ac lunæ quadraturas longè promptiùs, ac certiùs, quàm prognosticorum vulgariũ artifices, ex tẽpore prędicere possunt. Adde, quòd nihil limitatum scribũt: sed omnia vt toti vniuerso accommodanda, ab illis in lucem eduntur. Qua sanè de caussa, si quo die tempestates suo in climate prædictas, non euenisse cognouerint: mox, alibi, vtpote Asia, aut Aphrica, tum temporis Iouem grandinasse, ac fulminasse, apud imperitos perfricta fronte (prophetico spiritu sese diuinitus afflatos, futura prænoscere: ac prædicere, adserentes) contendunt. Quibus de causis, non ex horum ineptissimis calculis, verùm Ephemeridibus insignis alicuius astrologi, tempus, diem, horam, statum cœli, ambientis conditionem mittendo sanguini conuenientem: obseruari oportet: ídque in vrbe in qua degis, medicinámq; facis. Neque futurum aliquis Zoilus hîc obiiciat, Nullas (verbi gratia) ad Tolosæ, vel Montisalbani tum longitudinem, tum latitudinem, Ephemeridas extare. Nam, qui ad aliarum vrbium vt Tubingæ, Antuerpiæ, & similium longitudinem, ac latitudinem ediderunt, tabulam insigniorum locorum Europæ nobis ingeniose pictam, reliquerunt: per quam addendo, aut minuendo, seu subtrahendo, ad tui & climatis, & vrbis calculum deuenire posis. Has itaque, potius, quàm mendacium vatum (sic enim vocari cupiunt) præsagia, quotidie inspicito. Ita enim & de cœli statu verisimè pronunciabis, qualísque temperies, aut intemperies aëris sit futura, erecta domorum cœli figura, certisimè vaticinaberis. GAVT. Quinque illas cœli Zonas quibus rationibus maiores constituerunt (nimirum vt caussas varietatis regionum sapienter inuentas posteris relinquerent) satis accipio. Verùm, quæ totidem in terræ globo statuerunt) ex te audire cupio. CAR. Istæ quas scire cupis, prædictis planè respondent: eisdémque consiliis statutæ, hoc vno dempto, quòd cœlestes gr̃. ac m̃. numero definitæ, quatuórque minoribus sphæræ mundi parallelis circulis, vti prius dicebamus, distinctæ sunt. Terrenæ verò, stadiorum præfatis gr̃. ac m̃. responden-

tium

tium multitudine comprænhensam latitudinem habent. Cuius rei gratia, si cognoueris quantum terrę spacium vni cœlesti gradui respondet: mox arithmetica disciplina adiutus, quod quęris, quódq; scire desideras, in prõptu habebis. GAVT. Varias hac in re opiniones esse, Stadia quoque, perinde ac milliaria non apud omnes æqualia compertum habeo. CAR. Rectè tu quidem: Verùm, ceteris omnibus posthabitis, Ptolemæi calculum amplectere. Hic enim, cuilibet cœlesti gr̃. 500. terræ stadia respondere contendit. Quæ si per 8. diuiseris (nam 8. stadia milliare conficiunt) reperies italica milliaria 62. ½. gallica verò, quibus celtæ magna ex parte vtuntur 31. ¼. vni cœli gr̃. respondere. Incipiens igitur, à prima cœli zona, cuius latitudinem 23. gr̃. 30. m̃. definitam diximus, comperies 11750. stadia illi in terræ globo respondere. Quæ profectò, 1468. milliaria italica: & ¾. vnius milliaris efficiunt. Qui numerus mediatus, gallica millia restituet. Postrema autem, quum huic sit æqualis: totidem & stadia, & millia complectitur. Quare primæ ac postremæ zonæ completus numerus 23500. stadia, 2937. milliaria italica cum ½ reddit, gallica verò 1486 ¼. Media porrò quã torridam appellant, prædictis duabus nempe primæ ac postremæ coniunctis, æqualis, vtpote 47. gr̃. suæ latitudinis complectens, eundem prorsus tum stadiorum, tum milliarium numerum, arithmetica necessitate recipit. Reliquarum autem, nempe secundæ, & quartæ, quas temperatas & habitabiles dicebamus, calculus promptus est. Nam, quum ab æquatore ad alterutrum polorum gr̃. intercipiantur, 90. maxima autem solis declinatio 23. gr̃. 30. m̃. comprænhendat, & prima zona totidem, resultant gr̃. 47. Quam ob caussam, 43. gr̃. relinquuntur, hi namq; iuncti, 90. gr̃. seu quadrantem circuli perficiunt. Nostra ergo habitabilis à tropico cancri ad circulũ polarem arcticum protensa, 43. gr̃. limitatur: quibus in terra 21500. stadia respondent: milliaria verò italica, 2687. ½ gallica verò, 1343 ¾. Quemadmodum autem, de nostra habitabili, quæ secundum locum sortita est: ita prorsus de quarta iudicandum. Verùm, de his hactenus, quantum proposito nostro conueniebat, vniuersalibus rationibus disseruimus. Quæ quidem ad perfectam varietatis regionum nostræ zonæ borealis temperatæ noticiam minimè sufficiunt: Cuius rei gratia, ceteris omnibus omissis de ipsa speciatim verba faciemus: ne quid excusationis peccantibus in venæ sectione medicis relinquamus. Huius ergo

go

go zonæ ſeptemtrionális diuiſio communis Aſiam, Aphricam, & noſtram Europam complectitur. Peculiaris verò, prudentíque medico maximè neceſſaria, ſeptem climata præcipua, ſapientiſsimè à maioribus obſeruata, ſuiſque finibus diſtincta, compræhendit. Quæ ſi quis medicinam faciens exactè calluerit, vbicunque gentium degat: & poli eleuationem, & regionis naturalem temperaturam, in promptu habebit. GAVT. Multa ſuper his 7. climatibus, ſeu commodis noſtræ zonæ habitantibus, à viris doctis frequenter audiui, ſed obiter duntaxat, & veluti per tranſennam. Quum ergo, ad medici venam ſecturi prouidentiam maximè conferant, de his ſi lubet paulo altius ediſſere. CAR. Veteres illi geographi, quamuis non ignorarent extra hæc ſeptem climata incolas reperiri, quia tamen difficilis eſt eorum habitatio, multiſque vel caloris, vel frigoris exceſsibus aſsiduè grauantur: hoc ſeptenario climatum numero contenti fuerunt. Quo autem artificio illa inuenerint, paucis explicabo. Duos circulos ſeſe ad rectos angulos in punctis orientis, & occidentis æquinoctialis interſecantes, quorum alter æquatori ſubiicitur, reliquos verò, per orientem & occidentem polos inſuper ipſius mundi tranſiens, nec in ſeptentrionem ab auſtro reflectens, diducitur, imaginati ſunt. Geminæ ergo iſtorum circulorum ſectiones, totum terræ globum in quatuor partes æquales diuidunt: Quarum ea, quæ ab oriente per polum arcticum ad occidentem protenditur, noſtra, ſeu borealis eſt. In qua ſi rectam lineam ab oriente in occaſum per extrema zonæ torridæ, ſeu per tropicum cancri duxeris: alteram porrò per limites zonę primæ ſeu ſeptemtrionalis nimio frigore incultæ: quod medium relinquetur ſpacium, ſi ſex lineis parallelis ob oriente in occidentem ductis diſtribuatur, ac ſecetur, climata ſeptem reſultabunt. GAVT. Limites iſtorum diſcere cupio. CAR. Primùm incipit, vbi dies anni maxima (ſole nimirum cancrum ingrediente) horarum eſt 12. & $\frac{3}{4}$. vnius horæ, ſeu 45. m̃. horariorum. Medium verò vbi dies illa 13. horas præciſè continet. Finis porrò, qua parte terræ dies illa maxima, ſeu longiſsima, eſt horarum 13. & $\frac{1}{4}$ ſeu mauis 15. m̃. Sub initium huius climatis primi, noſter polus ſupra horizontem gr̃. 12. 45. m̃. eleuatur. Medio autem, 16. gr̃. In fine demum, 20. gr̃. 30. m̃. Veteres porrò geographi, primum iſtud atque æquatori proximum, omniúmque latiſsimum & maximum, clima per Meroen vocauerunt. Fuit autem Meroe teſte

Pom

Pomponio Mela,ca.10.lib.3.ca.11.lib.1. ciuitas & insula Aphricæ, nobilis & clara, 16. gr̃. duntaxat ab æquinoctiali distans. Quoniam verò, contiguorum climatum initia & fines consentiunt, dempto exordio primi, & fine vltimi, necessum prorsus initio secundi parem gr̃. ac m̃. numerum qui fini primi designabatur, tribuere, diémque maximam 13. horis, cum ¼. definire. Poli quoque eleuationi 20. gr̃. 30.m̃. designare. Medium itaque huius secundi est, vbi dies anni longissima, 13.horas & ½. seu 30. m̃. horaria complectitur. Vertex autem seu polus, 24 gr̃.15.m̃. eleuatur. Finis demùm, vbi dies illa maxima est 13.horarum¾ seu 45.m̃. Poli sublimitas 27.gr̃.30 m̃. Geographi, istud clima per Syenem nuncupant. Quæ quondam vrbs Aegypti, principiúmque prouinciæ Thebaidos fuit, quam etiam inter clarissimas Amasis regis vrbes, Pomponius mela cap.8. lib.1. connumerat. Tertij principium fini secundi respondet. Medium verò ipsius vbi dies maxima est, horarum 14. Eleuatio poli 30.gr̃.30.m̃. Finis porrò, qua parte telluris dies illa 14. horas, ¼. seu 15.m̃.complectitur. Polus insuper 33.gr̃. 40.m̃.exaltatur. Istud, clima per Alexandriam dicitur. Hanc autem, scriptis celebrauit Mela, cap.9. lib.1.contendens oppidum esse Aegypti littoribus Aphricæ conterminum. Vnde nonnulli non Aegypti, sed Aphricæ vrbem esse contendunt, ab Alexandro magno conditam: eiúsque nomine vocatam. Quartum clima vbi eadem est tum diei maximæ, tum sublimitatis polaris ratio, incipit, mediúmque ipsius vbi dies maximus 14. horas, 30.m̃. comprehendit. Polus autem altus 36. gr̃. & ⅔. seu 24. m̃. Finis postremo, qua regione terræ, dies longissima 14. horas ¾.seu 45.m̃.continet: latitudo autem eius 39.gr̃.comprahendit, statuendus est. Vocant istud, clima per Rhodon insulam, scilicet Mela teste cap.7.lib.2. atque vrbem minoris Asiæ clarissimam: quæ vbi multis sæculis efferos turcarum impetus fortissimè sustinuit, tandem in eorum ditionem magno reipublicæ Christianæ detrimento, venit. Quintum clima hoc ipsomet fine incipit, protensum habens medium ad locum vbi dies maximus horarum est 15. Poli verò altitudo, 41 gr̃.⅔seu 20.m̃. Finis postremò vbi dies illa prolixissima horarum est 15 ¼. seu 15. m̃.horariorum. Eleuatio poli 43.gr̃.30.m̃. cap.4. lib.2. Geographi, clima per Romam vocauerunt: cuius etiam meminit Pomponius. Qualis autem & quanta olim Roma fuerit, qualísque hodie sit, studioso lectori contemplandum relinquo: nihil de

ea

ea pronunciare ausus, nisi quòd vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos. Quum enim esset clarissima totius orbis regina, & vrbium omnium caput: iam pontificis duntaxat sedes est, nullum antiquæ nobilitatis suæ vestigium ostendere valens. Sexti climatis initium est, vbi dies maxima, & axis eleuatio, fini præcedentis respondet. Medium verò qua in parte telluris dies eadem horarum est 15. $\frac{1}{2}$. seu 30. m̃. axis altitudo 45. gr̃. 24. m̃. Finis, vbi dies ille maximus horas 15. $\frac{3}{4}$. seu 45. m̃. horaria complectitur. Polus autem, supra horizontem, 47. gr̃. $\frac{1}{4}$. seu 15. m̃. eleuatur. Hoc autem vocant, luna per Boristenem, qui (teste Mela ca.4.lib.2.) maximus est cunctorum fluuiorum Scythiæ, necnon amœnissimus, quíque ceteris turbidis fluentibus, liquidissimus, ac purissimus perseuerat. Postremùm vbi hoc sextum desinit, incipit. Medium verò ad locum quæ diei maximæ longitudo 16. horas attingit, protenditur. Axis autem, 48. gr̃. 40. m̃. eleuatur. Cuius sanè terminus ac finis, polo 50. gr̃. supra finitorem exaltato, statuitur. Istud per Rypheos, montes scilicet appellant geographi. Sunt autem, teste Pomponio cap.20.lib.1.cap. 5.lib.3. montes isti sub axe mundi, seu polo arctico directè locati, perpetuísque niuibus obducti: etiam si iuxta eos, gens æquissima, quam nemo quantumuis efferus violare audet, habitat. Si verò, maiores illi veteréſque geographi, completum numerum climatum nobis reliquerunt, necne: præsentis instituti non est. Scio tamen, Sanctum Andream, Stagiensem, Sanctum quoque Ioannem, Scotiæ ciuitates, numerum gr̃. ac m̃. fini septimi climatis addictorum superantes, hodie incolas admittere. Nam, S. Andreæ ciues polum 57. gr̃. 30. m̃. eleuatum, nocte serena vident. Stagnensis incolæ, hunc ipsum 58. gr̃. 30. m̃. eleuatum cernunt. Porrò, qui Sancti Ioannis ciuitatem colunt, 59. gr̃. 15. m̃. eundem supra nostrum horizonta exaltatum conspiciunt. Verùm, hæ omnes (vt Donda oppidum eiusdem Scotiæ, 59. gr̃. 30. m̃. axem mundi sublimem intuens, asperæ sunt, planéque difficilis habitationis: vbi etiam medicinam fecisse, haud multum è re prudentis medici fuerit. Gavt. Qua industria potero promptè discernere, cuius climatis sit oblata quæque ciuitas? Car. In primis per tabulas longitudinis, atque latitudinis insignium locorum Asiæ, Aphricæ, & Europæ. Ex his enim poli altitudinem promptissimè depræhendes, qua inuenta ingredieris tabulam sequentem, in gratiam tironum medicinæ adpositam. In ipsa

namque numeros horarum ac m̃.gr̃.item ac m̃.principij, medij ac finis cuiuſque climatis reperies.

	Princi-pium.		Medi-um.		Fi-nis.			Princi pium.		Medi-um.		Fi-nis.		
	ho.	m̃.	ho.	m̃.	ho.	m̃.		gr̃.	m̃.	gr̃.	m̃.	gr̃.	m̃.	
1	12	45	13	00	13	15		12	45	16	00	20	30	
2	13	15	13	30	13	45		20	30	24	15	27	30	
3	13	45	14	00	14	15		27	30	30	45	33	40	
4	14	15	14	30	14	45		33	40	36	24	39	00	
5	14	45	15	00	15	15		39	00	41	20	43	30	
6	15	15	15	30	15	45		43	30	45	24	47	15	
7	15	45	16	00	16	15		47	15	48	40	50	30	
	Horaria climatum diſtantia.							Latitudo, ſeu eleuatio noſtri Poli.						

Si ergo, vtrobique eundem gr̃. ac m̃. numerum offenderis, nullo negocio, cuius ſit vrbs climatis, iudicare licebit. Verbi gratia, ſcire cupis, in quo ſitus eſt hic noſter Mons Albanus? In dictis ergo tabulis, latitudinem, ſeu poli eleuationem: 43. gr̃. 30. m̃. comperies. Cùm hac itaque latitudine, ingredere tabulam noſtram: & in fine 5. climatis eundem prorſus, & gr̃. & m̃. numerum offendes. Qua de re, hanc ciuitatem in fine 5. aut initio 6. (reipſa conſentiunt) ſitam, iudicabis: necnon de naturali eiuſdem temperatura certiſsimè pronunciabis. Diſtat enim, hic noſter Mons Albanus ab æquatore circulo 43.gr̃.30. m̃.ergo, à polo arctico eius diſtantia 46. gr̃.30.m̃.erit. Hęc enim ſumma ſuperiori iuncta, 90. gr̃. reſtituit, quibus ſanè, noſter polus, & æquator diſtant. Rurſus, aufer maximam ſolis declinationem à latitudine huius ciuitatis: relinquetur ipſius diſtantia à tropico cancri, ſeu fine zonæ torridæ: nempe 20.gr̃. Tolle rurſus 23. gr̃. 30. m̃. quibus comprehenditur prima zona, poli arctici, & eiuſdem paralleli finibus comprehenſa, à diſtantia Montis Albani ad polum, 23. gr̃.ſupererunt: quibus idem mons ab exordio frigidiſsimæ zonæ diſtat. Quum igitur 3. gr̃. longius à frigidiſsima, quàm calidiſsima diſtet, calore aliquantulum

lum exuperare prorſus neceſſum eſt. Quod etiam, fere quotannis experimur: mitiores ſcilicet, atque clementiores hyemes habentes, quàm quæ æſtiuis caloribus æquiparari queant. Cuius rei gratia, Gautere, ſanguis parcior (etiam vrgente neneſsitate) hîc, quàm Lutetiæ mittendus. Toloſæ verò, minus: quia magis ad torridam accedit, latitudinéque minore vtitur: nempe 42. gr̃. 50. m̃. Vnde, multis nominibus admiranda ſummi illius Iulij Cæſaris Scaligeri archiatri prudentia, qui, perpetuò in hoc climate, 15. largas ſanguinis detractiones damnabat: ſollicitè monens, huius varietatis climatum prouidentiam, prudenti medico ſemper habentam. GAVT. Si numerum gr̃. & m̃. altitudinis polaris vrbis in qua degit quiſpiam, in tabula non reperiam: quid facto opus erit, aut quo facto de climate iudicabo? CAR. Obſeruata per tabulas Ptolemæi, aut alicuius alterius probati autoris, loci latitudine: ſi numerum penitus reſpondentem non inueneris, numeros eleuationum poli borei principio, & fini alicuius climatis addictarum, ſumes. Nam, ſi inuenta latitudo intra limites primi climatis cadit, in hoc ſitus eſt locus quem queris. Si verò ſecundi principio, ac fine intercluditur: in ſecundo reponendus. Atque ita deinceps. Verbi gratia, ſcire deſideras, quo in climate olim erat Niniue, magna illa Aſſyriorum ciuitas: in qua etiam Ionas vaticinatus eſt? In tabulis ergo coſmographiæ Ptolemæi, eius latitudinem, ſeu poli eleuationem: 36. gr̃. 40. m̃. fuiſſe comperies, quem ſanè numerum in tabula climatum non offendes. In medio autem quarti, inuenies 36. gr̃. 24. m̃. quæ præfatam Niniues latitudinem non attingunt. Accedes igitur, ad finem eiuſdem quarti climatis, vbi, 39. gr̃. exaltationis polaris precisè notantur: inter quos, & 36. illos gr̃. 24. m̃. in medio huius climatis reperta, Niniues latitudo comprehenditur. Iudicabis itaque, dictam olim ciuitatem quarti climatis fuiſſe, necnon 16. m̃. eiuſdem medium exceſsiſſe. Sed ne longiùs abeamus: oſtende quæſo, quo in climate, quaque eius parte Toloſa ſita eſt. GAVT. Porrige tabulas. CAR. Accipe. GAVT. Inuenio latitudinem vrbis mihi propoſitæ, 42. gr̃. 50. m̃. CAR. Perge. GAVT. Quinti climatis finis, eſt 43. gr̃. 30. m̃. Medium vero, 41. gr̃. 20. m̃. Inter hos ergo numeros, 42. gr̃. 50. m̃. latitudinis Toloſanæ continentur. CAR. Fateor. GAVT. Colligo igitur, Toloſam in quinto climate ſitam, ídque haud procul à fine. Nam, ſi 40. m̃. addideris, reſultabunt præciſe 43. gr̃. 30. m̃. in

fine noſtri climatis notata. CAR. Rectè collegiſti, atque vt hic, ſic in ceteris omnibus locis, dignoſcendum tibi clima putato. Neque enim, res parui momenti climatis cognitio cenſenda: hoc enim reperto, temperiem, aut intemperiem ambientis, certò tenebis, quam ſanè, priuſquam ſanguis mittatur, religiosè prouideri fas eſt. Sed de his hactenus. quò nimirum, intelligerent medicinæ factores, quanta tum hîc, tum aliis permultis, medici rationalis prouidentia deſideretur, ne fortè aliquando temere miſſo ſanguine, aut validiore medicamento exhibito, vulgus dicat, Morbus quidem curatus eſt, ſed æger periit. Quod quidam ſcomma Galenus cap. 2. poſt. lib. ad Glauc. vitandum, prudenter monuit. Ventorum quoque flatus non oſcitanter animaduertendi, vtpote qui non modò aëris mutationes: verumetiam varias corporum diſpoſitiones inducere poſſunt. Cuius rei teſtis locupletiſsimus mihi eſt diuus ille Hippocrates Apho. 5. lib. 3. cuius verba referre placet. Auſtri (inquit) auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, pigri, diſſoluentes. Quando huiuſmodi tempeſtas præualuerit, talia in morbis patiuntur. At ſi aquilonia fuerit, tuſſes, fauces, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, coſtarum dolores, & pectoris. Quando hæc tempeſtas præualuerit, talia in morbis expectanda ſunt. Quem locum exponens Galenus, nobiſcum planè ſentit. Semper (inquit) oportet medicum diſtinguere, ac ſeparare id quod ex cauſſa extrinſeca: & non morborum ratione fit, vt præcognitiones faciat diligentiores. Verùm, quia de ventis, eorúmque prima origine: multi ante nos multa ſcripſerunt, imo Ariſtoteles ipſe, lib. 1. Meteo. cap. 13. lib. 2. Meteo. cap. 4. 5. 6. de his hæc obiter ſtudioſum lectorem monuiſſe, ſufficit. Nunc itaque, Gautere, vniuerſa fere prouidentiæ medici ſanguinem miſſuri capita habes. Nempe, morbi magnitudinem, ætatis florem, vires integras: ac ſufficientes, quibus quodam loco Galenus cap. 2. lib. 2. ad Glauc. (facilitatem, & difficultatem ſentiendi annectit. Nam, quæ partes corporis promptè ſentiunt, vt orificium ventriculi: ſicut acria medicamenta non tolerant, ita nec venæ ſectionem multum deſiderant. Qua etiam ratione adductus Galenus cap. 14. prio. ad Glauco. dolente ore ventriculi, donec ei perſpectum ſit, ſanguinis miſsione abſtineri iubet: alioqui ægrum ipſum iugulaueris, planéque interfeceris. Deinde, velut auctaria quædam appoſuimus, temperamentum ægri natiuum, vel acquiſititium, corporis habitum, ſexum, præterita, præſentia, &

futu

futura ægrotantis symptomata, tempus, diem, horam mittendo sanguini magis idoneam, numerum dierum, mensuram, seu quantitatem mittendi sanguinis, consuetudinem, regionem, ac postremò ventorum flatus, factúsque est omnium numerus 18. GAVT. Qur fere vniuersa dixisti? An quæso his ordine conuenientissimo demonstratis, aliquid adiiciendum, cuius rationalem medicum prouidum esse oporteat? CAR. Duo supersunt Gautere, vtpote pars anni, & status cœli, quæ quantas in sanguinis detractione cautiones habeant, paucis explicari non potest. GAVT. Priusquam ex hortulo meo discedamus, de his si lubet obiter saltem edissere. CAR. Anni solaris in quatuor partes æquales naturalem diuisionem, cuius medico necessariam (si Hippocrati in fine lib. de natu. hum. fides habetur) tibi duntaxat nunc aperiam, omissis multis multorum aliis diuisionibus, quas si scire desideras, computum ecclesiasticum Ioannis de sacrobosco consule. GAVT. Quænam est illa vera, naturalísque anni solaris diuisio? CAR. Porrige sphæram. GAVT. En tibi. CAR. Hæc sphæra quam variis circulis, tum maioribus, tum minoribus distinctam vides, totam mundi machinam tibi speculandam ob oculos ponit. Maiorum autem circulorum obliquus iste duodecim imaginibus, seu signis distinctus: zodiacus dicitur, propterea quòd sol sub illius medio assiduè reuolutus, vitam istis inferioribus corporibus singulari munere largitur. Vnde Maro lib. 1. Georgi. Per duodena regit mundum sol aureus astra. Aristoteles etiam lib. 2. de ortu ac interi. cap. 10 caussas generationum obliquo circulo tribuit, & solem cum homine hominem generare; non ineptè contendit. Signa autem illa vt omnibus satis nota, dedita opera silentio prætereo. Hoc tamen vnum prædictis apponens, nempe annum solarem in quatuor partes æquales ex totidem zodiaci cardinibus sapientissimè obseruatas, duobus inquam tropicis, totidémque æquinoctiis diuisum, ea tamen lege vt quo puncto prima cœpit, vltima desinat, sicque nonus incipiat annus. Vnde Aegypti sapientes, ac magi (Oro Apolline teste lib. de sacris apud Aegyptios notis.) annum serpentis propriam caudam vorantis effigie pinxerunt. Quantæ porrò, tum sapientia, tum prouidentia, quatuor ipse anni partes generoso medico obseruandæ, Hippocrates ipse lib. de natu. huma. pluribus locis patefecit. Nam ex his in primis, & virtus rationem & cibi potúsque mensuram statuit. Ventres (ait ille, Apho. 15. lib. 1.) hieme,

& Vere natura calidiſsimum,& ſomni longiſsimi:quare per ea tempora,alimenta copioſiora exhibenda ſunt:Tunc enim calor innatus plurimus eſt,vnde & pluribus egent alimentis.De duabus autem aliis Aph.18.eiuſdem, ita pronunciat. Aeſtate, & autumno cibos difficillimè ferũt ventres,Hyeme facillimè, ſecũdum locum ver obtinet.Quid,quod ſummus iſte vir Hippocrates,ex temporum ſeu partium anni variis diſpoſitionibus in ambiẽte nos aëre à corporibus cœleſtibus factis, non modò cauſſas morborum,ſed etiam quando,qualéſq; futuri ſint,ſapientiſsimè prædixit. Verùm,præſtiterit eius dictionem recenſere,quæ Aph. 1.lib.3.ſic habet.Mutationes temporũ potiſsimum pariunt morbos,& in ipſis temporibus magnæ mutationes,aut frigoris , aut caloris.Quibus Gale.Commento eiuſdem Apho.addit reliquas qualitates,cum ventis. Nam, & horum frequens mutatio,morborum cauſſa eſſe poteſt:propterea quòd naturalis partium anni temperarura,in contrarium vertitur. Vnde,nihil mirum ſi tunc morbi excitantur. Non enim(vt rectè ſentit Gale.Commenta. Aph.4.lib.3. appellationes temporum anni, cauſſæ ſunt morbificæ:ſed eorum temperaturæ,in contrarias ſcilicet mutatæ.Cuius rei gratia,oportet medicum (ſi Hippoc.creditur lib.de nat hu.) exacta partim anni noticia prędítũ,ad ægros accedere,non ignorantem ſingulos humores in corpore ſecundũ anni tempus pro natura ſua maximè conſtitutum,inualeſcere. Vere namque ſanguis abundat,æſtate,flaua bilis,autumno,bilis atra,hyeme verò pituita. Cuius rei fidem certiſsimam,ſæpius hac quàm illa anni parte ſequientes morbi,ab Hipp.Aph.9 lib.3.Aph.19.20.21.22.23. lib.3.diligentiſsimè deſcripti,faciunt. Quod autem, ex partium anni conſtitutionibus futuros morbos prænouerit:hinc diſcas licebit.In temporibus(inquit) quãdo eadem die modo calor,modo frigus,autũnales morbos expectare oportet.Item Aph.11.li.3. Si hyems ſicca,& aquilonia fuerit:ver autẽ pluuioſum,& auſtrale:neceſſe eſt æſtate febres acutas fieri, & alia plurima quæ breuitatis gratia taceo,quòd ab eodem Aph.12.13.14.eiuſdẽ ſcripta: cuiuis ſtudioſo lectori reperire,licet.Neque tantùm morbos,verumetiam valetudinem optimam,pro ratione partium anni cõſtituit, dicens. Per anni tempora, vere quidem , & æſtate prima pueri,& qui hos ætate ſequuntur,optimè degunt,ſaníq; ſunt maxime:Aeſtate verò,& autumno,vſq; ad aliquid ſenes, Reliquum autumni & hieme , qui ætatem habent conſiſtentem. Modum quoq; medicandi ex eiſdem temporibus definiens, ita ſcriptum

reliquit Aph.4.lib.4.Medicari oportet, æſtate quidem ſuperiores magis, hyeme verò interiores. Gale. etiam ipſe ca.14.lib.1.ad Glauc. grauiſsimè culpat medicos, de temporum anni ſtatu ante ſanguinis miſsionem nihil cogitantes. Ne autem zoilus quiſpiam, hæc mihi ficta obiiciat: verba autoris referam. Ipſa pręterea (inquit) ambientis aëris temperies, loco accidentis cuiuſdam habenda, quando exquiſitè calida, ac ſicca fuerit, qualis eſt tempore medio inter canis ortum, & arcturi: atq; ideo, omnes quibus medici de temporum ſtatu nihil cogitantes (ſeu prouidentes) ſanguinem detraxere, interierunt. Hæc ille. Sed enim, his ſatis ſupérque expreſsis, de ſtatu cœli pauca ſubiiciam. GAVT. Quis quęſo hic eſt? CAR. Nonnulli, ipſum ambientis conſtitutioni conſentire: prorſus arbitrati ſunt. Verùm, meo quidem iudicio, non rectè. Aëris enim conſtitutio, ſtatus cœli affectum eſt: propterea quòd Ariſtotele teſte lib.1 Mete. cap.2. mundus iſtè inferior neceſsitate quadam ſuperis lationibus contiguus eſt: vt nimirum, inde vis eius vniuerſa regatur. Quæcunque igitur in ambiente mutationes eueniunt, ab hoc ſanè cœli ſtatu proficiſcuntur. GAVT. Quo artificio iſta cœleſtis conſtitutio deprehendi poteſt? CAR. Ex locis, aſpectibúſq; mutuis planetarum. Stellarum quoque inerrantium ortus, & occaſus, eandem te docebunt, prius tamen artificiosè erecta duodecim domorum cœli figura, vt in iudiciis genethliacis prudentiores facere conſueuerunt. GAVT. Quoniam hæc ardua maximè, ſummáque ſunt: optarem plurimùm, eximium quendam aſtronomum tantis de rebus tecum verba facientem, audire. CAR. Noſtin D. Io. Fornerium conciuem, hac in diſciplina cœleſti & diutiſsimè, & fœliciſsimè verſatum? GAVT. Noui perbellè, necnon virum acerrimi iudicij, atque in mathematicis exercitatiſsimum, re ipſa didici: vtpote qui pluribus & vitæ ſortes, & mortis conditionem inuento horoſcopo, veriſsimè prædixerit. CAR. Sunt obſecrabo, vt craſtinæ lucis matutino de his verba nobiſcum in hortulo tuo facere, neutiquam recuſet. Nam, plerique aſtrorum ſcientiam prudenti medico parum neceſſariam ſtultè opinantur. Cuius rei gratia, auditis ipſius rationibus, necnon perſpecta aſtrologiæ, ac medicinæ coniunctionis neceſsitate, quantum vulgares medici à ſcopo aberrent, intelliges. GAVT. Ita faxint ſuperi.

Personæ.

CARVINVS, FORNERIVS, GAVTERVS.

CARVINVS.



VCE hesterni, clarissime Forneri, in amœnissimis hortis huius cõmunis amici, de prouidentia medici sanguinem missuri verba facientes, eò tandem sermonem protraximus, vt affirmarem eatum cœli, mundíque positionem summa diligentia perquirendam, priusquam vena scalpello diuisa mittatur sanguis. Verùm, superueniente noctis vmbra, cœptos hac de re maximi profectò momenti sermones, in diem præsentem distulimus: & quid ipse in mathematicis fœliciter à teneris annis versatus sentires, coram audire statuimus. FORN. Quamquam sine mea opera, cœpta colloquia satis, supérque vobis absoluisse licuerit: dicam tamen ingenuè, quod super hac re à clarissimis scriptoribus, iisque summis astrologis: didici. Video enim nostrum Gauterum quodammodo gestientem, & istam disputationem ardentissimis votis expectantem. GAVT. Multa profectò me mouent, quibus hanc medicinæ cum astronomia coniunctionem, medico minimè necessariam putem. In primis enim, vidi complures medicos astrorum scientia parum alioqui peritos: satis fœliciter medicinam facientes. Præterea, contemplationes, & prædictiones astronomicas, sæpius fallaces deprehendi. Adde, quòd etiam si quis eum quem dicitis cœli statum, ad vnguem tenuerit, quid quæso ad morbi curationem contulerit? Primæ namque caussæ non videntur à secundis impediri posse. Quam ob rem, si quæ mortalibus nobis accidunt, è cœlesti consensu originem ducunt, nouerit quispiam cœli statum, necne, fatalis illa necessitas finem suum assequetur. Vnde, medici (etiam si summi astrologi fuerint) omnes ægros sanitati restituere nequeunt: deficientibus nimirum caussis particularibus, quas (vt fortiores) vniuersalibus opponere valeant. CAR. Probabiles quidem, multúmque verisimiles: non tamen necessarias rationes adducis, quibus profectò plerique omnes ludificati, optimas, & honestissimas,

sum.

summéque vtiles disciplinas hactenus contempsere. Quam ob rem, vbi Fornerius eas diluerit, pernicosum errorem è medio (magna posterorum vtilitate) sustulerit. FORN. Quos proposuisti medicos, astrorum scientiæ parum peritos satis fœliciter medicinam facere, vulgares sunt Gautere, titulóque tenus id nominis obtinentes, qui etiam multis agricolis deterius sapere videntur. Si etenim, naturali quodam instinctu lunæ virtutem in hæc inferiora cognoscentes, non quolibet eius quadrato, aut pecus coire permittunt, aut sementem iactant: verùm increscente duntaxat illius lumine. Futurorum autem ex cœli statu præuisionem, non tantùm mittendo sanguini: sed etiam rectè curandis morbis necessariam, hinc discas licebit. Hæc enim (vt rectè Ptolemæus lib.1. iudiciorum sentit) animum componit, & moderatur meditatione absentium, tanquam præsentium: & præparat ad excipienda ventura cum tranquillitate, & constantia. Generosi autem medici, & arte Hippocratica digni est, præuidere qui morbi letales, quíque curabiles sint. Hoc porrò discrimen ex iudiciis astronomicis petendum, quandoquidem & morbi, & ipsorum crises ex vario siderum motu planè pendeant. Cuius etiam rei gratia Hippocrates Cous medicorum princeps, lib.1. præsa. contemplandum monuit, si quid diuinum morbis inesset, ignorata quippe natura planetæ morbo dominantis, eûmque fouentis, quis idonea remedia adhibet, contraria scilicet contrariis pro ratione excessus opponens? Aut quis futurorum nescius, probam victus rationem, sine qua nullus morbus arte curari potest, instituerit vnquam? Hermes quoque Trismegistus, summus tum medicus, tum astronomus, Iatromathematicæ suæ principio, idem sentiens, ita scriptum reliquit. Cœli positus medicaturo diligenter explorandus, horáque decubitus aut ingruentis morbi, exquisitè discenda. Stellæ, munúsque earum inter se habitus considerandus. Nihil enim, sine harum congressu, aut influxu, in rebus humanis valetudinarium est, aut sanum. Quòd si hora decubitus exquisitè nosci non potest, obseruanda erit ea in qua morbus nunciatus est, erectáque figura, cœli positus diligenter contemplandus: vt nimirum sciamus, an benefici tum sint in ortu, aut cœli medio. Sic enim collocati procul dubio collapsas vires citius restituent, quàm præstantissimus posset medicus. Si verò in occasu, aut angulo noctis, morietur æger. GAVT. Qui sunt isti benefici, & cur ita vocati? FORN. Ista in-

feriora corpora omnia calore, humoréque temperatis, coalescunt & roborantur: contra verò, eádem frigore, ac siccitate dissipantur, & pereunt. Quibus de caussis, planetę nostra corpora moderatè calfacientes, & humectantes: benefici dicuntur, quales sunt ♃. ♀. & ☽. cum ☊. Malefici verò, ♂. & ♄. caudáque drachonis. ☋. ☉. autem horum medium (veluti rex quidam) locum tenens, cuíque ceteri planetæ iure naturæ debita obsequia præbent: omnia moderatur, ac dirigit sidera. Postremo ☿. loco, aut naturæ dignitate habendus, vtpote cum bonis bonus, cum malis malus, si Ptolemæo lib. 1. iudiciorum fides habenda. Hic namque, diligentiam ægyptiorum in futuris pręnoscendis, maximis laudibus extollens, ostendit eos primos ad vsum totius posteritatis compositiones Iatromathematicas fecisse, & res medicas astrologicis coniunxisse: vt scilicet astronomia subiectarum constitutionum proprietates declararet, quídque casuum cœlum nos circundans intenderet, demonstraret: atque suas quorúmque rationes designaret. Nam, sine horum cognitione opem ferri posse, arbitrati non sunt. Quippe, qui scirent, non eandem omnibus corporibus, aut morbis: conuenire. Sed medicinę scientia hoc efficiebat, vt & futuri mali auersio, & pręsentis curatio, quoad eius rectissimè fieri posset, de concordibus, aut contrariis singulorum effectionibus existeret. CAR. Vides Gautere, hanc Iatromathematicorum vetustissimis, adeóque sapientissimis Aegyptiorum Magis celebratam fuisse? Neque profectò alio consilio, quàm vt pręsentibus morbis sapienter obsisterent, aut eisdem impendentibus tempestiuè prouiderent. In his quippe duobus, prima rationalis medici officia consistunt. Quare, qui primo die tertianam febrem à quartana nescit distinguere, medici non meretur titulum: quantomagis qui neque de rebus cœlestibus quicquam ratiocinari, neque ex positu cœli futura predicere nouit, hac appellatione indignissimus censeri debet? FORN. Quando de tali hominum genere & rectè, & verè sentis: nullo pacto reclamandum censeo. Quin potius, forte magis quàm arte miseris ægris sanitatem illos reparare: multóque plures temerè occidere, quàm sapienter curare, credendum suspicor. Ptolemæus enim, vir profectò summus, horum inscitiæ non ignarus, præclara quædam nobis scripta reliquit, Cent. sent. 19. quorum ex numero est illud, quo vim purgantis medicamenti in ♂. ♃. & ☽. hebetari, affirmat. Hæc enim quum stellarum citima, terrisque

risque finitima: tum vicinia, tum celeritate motus, diuersisq́ ad alios planetas aspectibus, corpora nostra præ ceteris omnibus tum errantibus, tum inerrantibus stellis, regit. Cuius rei fides in corporibus sanis vulgo admodum difficilis, non tamen indemonstrabilis. In ægris verò, tam manifesta, vt nullam prorsus demõstrationem desideret. Nisi fortè, ab his, qui instar beluarum vitam sub cœli cauo degentes, inferiora ista corpora superiorum motus assiduè sequi, nesciunt. Quum enim ♃. & ☽. iunguntur, atque coeunt, vires naturales insigniter augentur, vt pharmaci purgantis efficaciam superent, atque medicamenta vi tractrice prædita, concoquant. Vnde, frustratur eorum actio, humoribus scilicet non vacuatis. CAR. Audis mi Gautere, quantam astrorum, prȩsertim insigniorum noticiam medicum, priusquam medicamentum vi tractrice præditum ægris propinet, habère conueniat? GAVT. Desino mirari, quibus de caussis prudentiores medici in ☉. ac ☽. ☌. purgantibus medicamentis abstinent: donec scilicet ☽. paulo illustrior reddita, radiisq́ue solaribus vegetior facta: vires ipsorum dirigere possit, necnon facultas expultrix suo munere promptiùs defungatur. CAR. Rectè sentis. Sed Fornerium doctissimè super his ratiocinantem, audiamus. FORN. Hæc Ptolemæus de tempore vsus, & propinationis pharmacorum purgantium, obiter tractauit. Quàm verò mittendi sanguinis sollicitus fuerit, Centi. sent. 20. ostendit. Membrum (inquit) ferro ne percutito, quum luna signum quod ei membro dominatur, obtinet. Hæc enim totum corpus humectat, præcipuè verò membrum signo subiectum, quod tunc ipsa percurrit. Cuius profectò largiore humectatione, magnum illi nocumentum adferatur, si ferro tunc ictum fuerit. Dominantur autem, singula zodiaci signa, singulis corporis nostri partibus, ordine conuenientissimo facta distributione, vt scilicet ♈. capiti, ♉ collo, ac ceruici, ♊ humeris & brachiis, ♋ pectori, ♌ lateribus & stomacho, ♍ ventri, ♎ renibus, & vertebris, ♏ pudendis, ♐ coxis, ♑ genibus, ♒. cruribus, ♓. autem, pedibus præsint. Cuius rei gratia, prudentis & cauti medici est, cursum ☽. optimè tenere: ne fortè aliquam corporis partem scalpello feriat, quo tempore præter ceteras humectatur ab ea. Adde si lubet, præclarum illud Pontani dictum coment. sent. 21. Rerum (inquit) cœli peritia, & eorum quæ ☽ in nostris corporibus agit, cognitio, ad medicos vel in primis pertinet: vt salutaris remedij

mixtu

mixtura, cum ſtellarum ſignorúmque miſturis conueniat: cœleſtiſque actio rerum terreſtrium actionibus conſentiat. Quæ profectò vniuerſa, medicum attentè circumſpicere oportet, quandoquidem luna in humidis ſignis exiſtente, commodiores fiunt purgationes: quàm ſi eadem, ſigna ſicca peragraret. Si ergo, ſimilia ſimilibus vires addunt, contraria demunt: humida ſigna videntur plurimum adiumenti purgando corpori conferre, vbi præſertim luna corporum ipſorum domina, iis in ſignis collocabitur. Quod quidem tempus ſolertem medicum (niſi maiora cogant pericula) expectare oportet, vt lunæ ſigníque auxilio addito, maiores vires educendis humoribus potio ipſa capiat. Neque tamen, de omnibus humidis ſignis dictum accipi velim: ſed duntaxat de ♏.& ♓. Nam, ♋.quamuis propria domus ☽.ſignúmque humidum: quia tamen pectori præeſt, vomitum facilè excitare poteſt: Qua etiam ratione, luna in eo exiſtente, metu vomitus, abſtinendum purgatione (niſi neceſſitas vrget) cenſeo. Iſta porrò ſignorum varietas, ex ſignifero ſumenda: quem veteres in 4.triplicitates, elementorum & numero, & viribus reſpondentes, diſtribuerunt. Harum autem prima orientalis eſt, ♈.♌.& ♐.igneæ naturę ſigna continens. Secunda occidẽtalis ♊.♎.& ♒.aëreæ naturę ſigna cõplectitur. Tertia ſeptẽtrionalis ♋.♏. ♓.inſuper cõtinet, aquea nimirum ſigna. Quarta poſtremo, meridionalis cenſentur: ſigna terræ ♉.♍.♑. continens. Quum ergo, noſtris corporibus tales paſsiones proueniant, quales cœlum ſtellęque molliuntur: danda eſt medicis opera, vt non modo potiones ipſæ temperatæ ſint, quo ſalutaris actio conſequatur: ſed cœli quoque, ac ſtellarum vires, miſcendæ. Quod (meo quidem iudicio) nunquam præſtabunt cœleſtis diſciplinę ignari medici, qui etiam ſi velint, non tamen vnquam affirmare audebunt, rerum conditorem Deum.opt.max.cœlos, omnémque ornatum eorum fruſtra produxiſſe: nullámque illis vim in hęc inferiora tribuiſſe. Nam, ſolis ac lunæ duntaxat exemplo, mox falſi, ac mendacij conuincerentur. Quis enim, 4.anni temporum varietates ex obliquo ſolis motu ſub eccliptica quotannis proficiſci ignorat? Quis etiam adeò ſtolidus, qui proportionata inuicem dierum ac noctium incremẽta, hactenus eadem de cauſſa renecti: non obſeruauit? Quis inſuper hiberna frigora æſtiuóſque calores, à ſole pendere nondum didicit? Hinc enim redeunti, propiúſque accedenti, non modo animantia, ſed ſtirpes

pes

pes etiam ipsæ, congratulantur, suósque velut hymnos decantant. Arbores quoque, floribus ac frondibus lętissimis ornatæ: sese illi ostentant. Auium genus omne, cantus modulamine illi regredienti gratificatur. Herbæ quoque, tantum solis beneficium naturali quodam instinctu percipientes, è terræ visceribus emergunt, quarum etiam plerique, oriente sole panduntur: aliæ verò eodem occidente clauduntur, mirandæ semper naturæ sapientia ita disponente. Sata postremò, vniuersa velut reuiuiscunt, & frigoribus hibernis emortua, renascuntur. Adde si lubet, quòd pro molestis longarum noctium tenebris, lux diurna mundo gratissima, longior conceditur. Quæ omnia contemplatus Propheta, Psal. 19. eleganter cecinit Dei gloriam atque maiestatem, cœlos ipsos nobis patefacere. Ipsius quoque ineffabilem potentiam præ cæteris omnibus ipsum firmamentum stellis innumeris decoratum, ob oculos spectandam assiduè proponere. Dies quippe vnus, subsequuturum alterum iudicat, nóxque vna cognitionem alterius suppeditat, vtpote, vicissitudine perpetua sibi mutuo succedentes. Accedit, quòd idem sol, ab altero cœlorum extremo cursum instituens, longo tractu tandem in alterum peruenit, nullam mundi partem non lustratam relinquens. Quid, quòd maris etiam rabies, sęuæq; procellæ, hoc ipso nobis viciniore facto placantur, fitque tractabile cœlum? Lunæ verò influentiæ atque vires in hæc inferiora corpora (præcipuè humana quæ ad vnguem intus & in cute medicum nouisse oportet: vtpote totius artis suæ subiecta, ad quæ vel sana tuenda, vel ægra curanda, totius medicinæ scopi referuntur) quantæ qualésque sint, ipsa profectò experientia demonstrat. Pro variis enim ipsius ad solem aspectibus, hæc inferiora sensiliter immutantur: vti non modò in fluxu, & refluxu oceani, augmento quoque ac decremento magnorum fluminum quorumdam: sed etiam animantibus ipsis quorum medullę à coniunctione ad oppositionem luminarium augentur, reliquis autem duabus quartis minuuntur, cernere licet. Quinimò, ædificatores periti, ligna magis probant quæ decrescente luna amputata fuere, quòd scilicet minus humiditatis continent: qua sanè ratione, diutius, incorrupta manent. Sunt præterea morbi statis lunæ periodis recurrentes, vt comitiales, maniæ, ac desipientiæ cum studio aut risu, aliíque complures. Mulierum etiam vteri secundum naturam habentes, motum lunæ sequuntur: certísque dierum numeris à sanguine

ibidem collecto, repurgantur. Vnde, veteres purgationes eiusmodi menstruas vocauerunt, quòd scilicet, vi lunę procederent, quæ mensium dispositrix, vt sol annorum existit. Postremò, tota dierum criticorum, seu decretoriorum ratio, præcipuè ex luna pendet: quę corporibus nostris (teste Ptolemęo Cent. senten. 61.) vt sol animis dominatur. Ex vario igitur ipsius motu, diuersisque ad solem ceterósque planetas aspectibus, necesse est crises aut bonas ad vitam, aut malas ad mortem citius, vel tardius fieri: quemadmodum figura 16. laterum crisibus morborum prænoscendis mira sapientia maioribus nostris excogitata luce clarius demonstrat. Si namq;, 4. cardinales figuræ 12. domorum cœli angulos, bifariam secuerunt, & cuique lateri 22. gr̃. 30. m̃. tribuerunt: atque hac industria ex 4. lateribus, ¼ cœli nempe gr̃. 90. constituerunt: qui quater sumpti, 360. gr̃. (totum scilicet ambitum cœli) compræhendunt, haud secus profectò, quàm 22. gr̃. 30. m̃. per 16. multiplicata. Nam 30. m̃. per 16. ductis, 480. m̃. resultant, quæ per 60. diuisa, 8. gr̃. præcisè reddunt. Rursus, 22. gr̃. si in 16. ducantur, prodibunt 352. gr̃. quibus adde priores 8. & numerum ambitus cœli (nempe 360. gr̃.) resultantem comperies. Quum igitur, ad motum lunæ humores morbifici etiam moueantur: nequeo profectò, satis deplorare istorum hominum insaniam, qui euidentibus naturæ testimoniis reclamare, non verentur: eásque res negligere, quæ si diligenter obseruarentur, & cautiùs cum medicis, & multo meliùs cum ægris ageretur: neque adeò turpiter ac indecorè fallerentur Iatromathematicæ contemptores medici, vbi quo minimè suspicantur die, grauiores commotiones accidunt: & sæpius illis inopinantibus, mors præ foribus adest, quæ ægrum capiens, & liberis, & affinibus damna infert: quibus Iatromathematicus nullo nullo negotio obsistere poterat. Neque magni facienda hîc veterum recentiorúmq; astrologorum discordia. Illi enim, dictos 22. gr̃. 30. m̃. æquatoris, isti verò zodiaci: plus scilicet in signiferi gradibus æqualibus, quàm ascensionibus rectis, (& rationis, & experientiæ agnoscentes) esse contendunt. In qua etiam hęresi D. Augerium Ferreriũ esse comperio: quem profectò, verè Iatromathematicum sine adulationis suspicione, dicere possum. Neque rursus, multum me mouent eorum consilia, qui relictis apotelesmatibus Ptolemęi ad numeros pythagoricos cõfugiunt: eisque totam dierum criticorum rationem superstitiosè tribuũt, quum

pręsertim

præſertim noſtra corpora non numeris, ſed rebus à conditore ſapienter numeratis(præcipuè verò motu lunæ)regantur. Cuius rei fidem autoritate Ptolomęi Cent. ſentē.61. facere lubet. Luna (inquit) ſignificat ea, quæ corporis ſunt, vt quæ ei pro motu ſimilia exiſtant. Quod explicans Pontanus, oſtendit non ſolùm aptè, verumtiam neceſſariò hoc pronunciatum eſſe: quo docemur rationi conſonare, vti lunæ motus à medicis obſeruetur, quem corpora ipſa ſequantur. Siquidem, hæc ſignificationem, & imperium habet eorum quæ corporis ſunt. Accedit, quòd præcedente ſententia, lunæ duntaxat meminit Cent. ſent.60. dicens. Super ægrotis criticos dies inſpice, ac lunę peragrationem in angulis figurę 16. laterum: vbi enim eos bene affectos inueneris, benè erit languenti: contra, malè ſi afflictos offenderis. Adde, quòd qui numeros pythagoricos ſequuntur, dum figuram 16. laterum erigunt, omnes primo verum locum lunę apponunt, & additis (vt dicebamus) 22. gr. 30. m̄. illam tandem abſoluunt. Quę res manifeſtè conuincit, eos cum Ptolemęo ſentire: tametſi verbis, diſputationéque ſubtili magis quàm vtili, diſſentire videantur. Neque tamen mea hęc ſenſa imprudenter ab Iatromathematicę contemptoribus accipi velim. Dum enim dierum decretoriorum rationem lunę motui tribou, ceteros ob id planetas, aut ſtellas fixas, negligendas cenſeo. Habent enim hîc quoque, locum non poſtremum: ſuáſque vires exerunt, ſed quas intercedente luna planetarum infima, terriſque finitima: in corpora noſtra tranſmittunt. Hanc autem ſolam, totum in diebus criticis principatum neutiquam obtinere, ipſa experientia demonſtrat. Sępius enim, extra quadraturas, morborum criſes fiunt: & in eiſdem, luna etiam benè affecta: aut non fiunt, aut certè in partem deteriorem vergunt, impediēte nimirum, aut alio planeta, aut ſtella fixa: quę morbum ipſum primitus excitarat. Singuli namque planetę, ſuos aut gignunt, aut ſanant morbos: quos etiam medicum ignorare, turpiſsimum fuerit, ſi vel tantillam viri boni famam aſſequi, proponit. Quis enim compos mentis, rationi conſentaneum eſſe neſcit: qui ab infortunis cœli, excitantur affectus: à contrariis perſanantur. Nullus enim planetarum, per ſe eos quos excitauit morbos, (etiam ſi fortunatiſsimus) curat. Verùm contraria contrariis ſemper opponenda, quò ſcilicet, exceſſus, aut defectus omnis: ad ſuam mediocritatem reducatur. Qua quidem in parte mecum ſen-

tit. Hermes ille Trismegistus lib. de Iatromathematica. scribens, ♂. conuenientia, ♄. aduersari, Martia namque vniuersa medicamina, calfaciunt, emolliunt, obstructionésque liberant. Contra verò, Saturnia refrigerant, adstringunt, indurant, contraria denique superioribus effecta, præstant. Quæ verò medicamina calfacere, aut refrigerare, humectare, vel siccare, mollire, aut indurare, aut aliud id genus in nostra corpora efficere queant: ipsi satis, supérque tum ratione, tum experientia fulti, perspectum habetis. Quare, mihi mathematicis duntaxat argumentis, atque demonstrationibus iatromathematicæ necessitatem asserenti: plura super his tractare superfluum foret. Atque, iam primum ad obiectam prædictionum astronomicarum fallaciam, fatíque necessitatem refellendam: me accingerem, nisi, medicorum (præsertim Hippocratis, ac Galeni) hac de re sententias ex Caruino audire, cuperẽ. Nunquam enim, mihi persuadere potui: tantos medicos non etiam summos astrologos fuisse. CAR. Quàm sollicitè medicorum duo principes astrologiæ præcepta obseruarint, nihílque omiserint, quod ad hanc Iatromathematicam pertineat: ipsorum scripta testantur. In primis de constitutionibus, aëre, locis, & aquis, Hippocratis libellus. Cui etiam (fortè opusculum de statu ægrorum secundum motum lunæ (quamquam nonnulli Hippocrati non Coo, sed astrologo acceptum ferunt) debetur. Deinde, præsagiorum libri tres, quibus inter cetera docuit, oportere medicum non tãtùm præterita ac præsentia, sed etiam futura prænoscere: necnon morituros conualiturósve ægros tempestiuè prædicere. Sic enim (ait initio 1. lib. Pręsagiorum) & admirabilem, & bonum medicum se præstabit. Quos enim superstites fore cognouerit, eos quoque rectiùs seruabit, vtpote ex multo tempore singula quæque perpendens. Itaque, morituros victurósque præsentiens, omnem prorsus calumniam vitabit: neque mortis crimine illum quisquam accusare poterit. Quid autem de libris Epidemiων, morborúmque populariter grassantium pronunciabimus? An non in his primam contagionis originem cœlestibus corporibus, ipsorúmque in hæc inferiora viribus: quas influentias vocant occultè tribuit? Istis enim ociosis quur quęso, vno tempore potius quàm altero inquinatur aër? Aut qua de caussa, pestis non assiduè sæuit? Nec mihi quisquam elementorum qualitates, variásque eorumdem affectiones obtrudat: quoniam & elementa, & vniuersa virtus

ipsorum

ipſorum aliunde pendet, necnon à ſupernis cauſsis regitur: vti luce clarius 4. anni tempora ipſorúmque mutationes tum naturales, tum contra naturam demonſtrant. Naturales quippe, morbos ſoluunt, & finiunt: contrariæ verò, eoſdem gignunt, & excitant, vti grauiter monuit Hippocrates A ' .oriſmo. 1. libro 3. Non profectò ignorans, cauſſas vtrarumque ex aſtronomicis apoteleſmatibus petendas, præſertim quum ſingulæ anni partes ſuos è cœli ſtatu, aſtrorúmque vario poſitu morbos primitus profectos habeant: quos vbi ordine conuenientiſsimo recenſuiſſet, mox generalem quandam normam ex particularibus colligens (Apho. 11. 12. 13. 14. lib. 3. Item Apho. 20. 21. 22. 23. eiuſdem) ita ſcriptum reliquit. Ex anni conſtitutionibus quod in totum dixerim, ſiccitates imbribus ſunt ſalubriores, minúſque mortiferæ. Adde, quod idem ipſe Apho. 15. lib. 3. Apho. 17. lib. 3. quotidianas conſtitutiones medicum obſeruare voluit, ſi nimirum aquiloniæ, aut auſtrales fuerint. Nam, pro vario ſiderum motu varios excitare ventos, quemadmodum & pluuias, tempeſtates, tonitrua, fulmina, cometas inſuper mali perpetuo ominis, ſatis conſtat. Nonnullis interim ſtellis fixis conſentientibus, atque fortunas aut infortunas augentibus, vel minuentibus: aut etiam prorſus abolentibus. Pręterea, an non ipſemet ex pręſenti, cœli ſtatu, futuros morbos interdum vaticinatus eſt? Hoc autem certe, ſine ſumma aſtrorum peritia pręſtare nequibat: quum naturales rationes huic vaticinio (quicquid garriant phiſionomi, chyromantici, & alij eius farinæ homines: nulla ratione quod affirmant, demonſtrare valentes) neutiquam ſufficiant. GAVT. Iacobus Siluius Scholio 33. in lib. Hippoc. de natu. huma. totam 4. anni partium differentiam variis flatibus tribuit, eiúſque opinionis ſuæ Hippocratem teſtem adducit. Cuius etiam autoritate fultus, intrepidè aſſerit, mutationes aëris à corporum cœleſtium influxu ceu incertiſsimas, & vaniſsimas: ab aſtrologis nugacibus confictas, medicum non recipere. Quid igitur, huic ne tanto viro poſt habitis aſtrologorum placitis habenda fides? CAR. Amicus Siluius, omnéſque viri literati: magis tamen amica veritas. Cuius tuendæ gratia, tam pernicioſam ſententiam quæ optima & fœliciſsima quęque ingenia ab aſtrorũ pręclara ſcientia deterrere, prorſúſque alienare poſſet, oppugnare: necnon inuictis rationibus confutare, veritus (ſeruata præceptoris mei dignitate) non ſum. Quum enim aſſeruiſſet Siluius,

nius, caussas varietatis anni partium quibus singulis singuli humores in hominis corpore inualescunt, in variis flatibus consistere: qui præcedentes anni partes permutauerunt, & ad futurarum anni partium temperaturam veluti disposuerunt: mox gradum sistens, & suæ assertioni finem imponens, in astrologos præter vllam rationem inuehitur. Quos (per Iouem) ante ventorum caussas tum effectrices, tum sedatrices designatas, notari non decebat. Nisi fortè, ventris (hos enim per flatus mihi intelligere videtur) nihil prius aut antiquius ad excitandas temporum mutationes, bonus ille senex malo sæculo bene natus, arbitrabatur. Mirari verò subit tantum virum doctrinæ Galeni studiosissimum, eiusdémque professorem eximium ac regium, dum astrologos ita perstringere, in memoriam non reuocasse quæ Galenus ipse longè diuerso consilio scripta reliquit. Vnde profectò, cuilibet etiam tironi medicinæ promptè discere licebit, aëris pro varietate 4. anni partium mutationes à corporibus cœlestibus, seu astrorum influxu, necessariò pendere. Sic enim ipsius (lib. 3. de diebus decretoriis) habet dictio. Omnia siquidem in hoc orbe, à cœlestibus corporibus decus ornamentúmque capescunt, omniúmque superiorum astrorum potentia fruimur. Verùm, sol maximè hunc orbem exornat, & concinnè disponit. Quippe, Veris, Aestatis, Autumni & Hyemis autor, alius nemo extat. Nec alius tam manifestè vel ex terrestri fæce animalia generare, neque fruges maturare, neque ad coitum, & generis propagationem animantia prouocare potest. Magna sanè & lunæ opera in hac rerum substantia apparent: verùm, solis effectibus posteriora. Etenim, menses hæc perpetuò ordinat, ídque euidenter adeò in marinis beluis. Quanquam & hoc ipsum solis beneficio debet. Nouum enim lumen sortitur, quum sole primum fruitur. Tanta eius portio illucesit, quantam sol aspicit. Prorsus autem deficit, lucísque expers redditur: vbi terra suo interuentu ipsam obtenebrarit. Quapropter, à solis recessu omnes mutationes sustinet. Etenim, plena est, quum diametra apparet. Aequa portione diuisa (διχότομος Græcis appellatur) quum quadrangula est. Incurua enim triangula. Et falcatam speciem refert sex angulis prædicta. Atque tunc primum recens est, quum post solis congressum apparet: Obscuratur omnino, quum solis lumen circa eam emergit. Igitur, fructus auget saturátque, animalia implet. Ad hæc, menstruum tempus mulieribus conser-

uat.

uat. Item, comitialium circuitus custodit, inde quod solis plus vel minus participat. Omnia siquidem quæ facere nata est, vbi falcis figuram repræsentat, obscura fiunt. Inclarescunt quum plena fuerit. Quapropter, & fruges interea adauget, maturat celerrimè, ferarum occisa corpora in tabem suo visu resoluit, somnóque sopitis sub ipsius lumine, vel aliter diutiùs immoratis pallorem, capitis dolorem conciliat. Vt igitur, luna in omnibus solis auxilio indiget: ita sol nihil vel maximi cuiusdam astri, vel ipsius lunæ operam desiderat. A nullo enim impeditur, quò minus æstatem faciat, quum in vertice nostro constiterit. Aut frigus adducat, si humilis eius cursus fuerit. Aut meridiem vtramque constituat, quum obliquus æquè videtur: sed veluti rex quispiam maximus est. Luna verò, vt princeps non mediocris inter illum & nos constitutus, terrestrem regionem meritò gubernat: non potentia ceteros planetas sed vicinitate exuperans. Huius rei gratia, maximè frigus, nostrum locum occupat, quum sol ad hyemalem plagam declinauerit. Tunc calor nos exercet, vbi supra verticem nostrum, aut prope ipsum fertur. Luna verò, particulares cuiusque mensis dies disponit, paruæ mutationis facultatem habens: eámque non simpliciter ex se, verùm ex solis aspectu consequitur. Vehementiores itaque mutationes eueniunt, vbi ipsa cum sole coit. Insuper in apparitionibus plenilunij. Minores his contingunt, dum medio orbe apparet: Obscuræ dum curuata in cornua, ac falcata videtur. Nam, validissima eorum quæ prius erant, mutatio coitu lunæ, & dum obscurascit, committitur. Quippe, quæ prius apparebat, nunc nulli conspicitur. Dein, diametra lunæ statio tanquam distinguens eam, ínque duas partes secans contrarias eiusdem dispositiones, omnium & validissima. Quòd autem, incrementum diminutioni dispositio sit maximè contraria, verbis non indiget. Postea, huius congressus & apparitionis plenilunij duæ diuisiones dicotomi medium vtraque secant, augmenti tempus prior, diminutionis altera. At omnium extremę obscurissimæque aëris nos ambientis mutationes, in falcatis incuruisque apparitionibus fiunt: magis autem incuruis. Hactenus Galenus. Cuius profectò scripta, omnes mutationes aëris è corporum cœlestium influxu, primùm solis deinde lunæ accidere, manifestè conuincunt. Aetius quoque, quem ipse legendo citare cõsueuerat, istud adeò euidenter confirmat, vt nullus tergiuersandi, & astrologos calumniandi locus relinquatur.

Quinimo, & ventorum flatus ab his ipsis originem ducere, testis est summus philosophus Aristoteles lib.2.Meteo.cap.4.& 5. qui dum ventorum materiã habitum siccum posuisset, caussam ipsorum effectricem in sphæra cœlesti (nempe solem) quęrendam monstrauit. Ipse enim (ait) sol, & cohibere & excitare ventos potest. Ptolæmeus quoque (lib. de inerrantium stellarum significationibus) manifestè docet, nullam fere stellam notabilis magnitudinis sine ventorum mutatione aut oriri, aut occidere. Cuius rei gratia, sollicitè monendi sunt medicinæ candidati, ne hac in re cum Siluio sentiant: sed potius Galeni exemplo commoti, studiosè discant res medicas astronomicis coniungere. Sic enim profectò, & boni & admirabiles medici tandem iure optimo censebuntur. In quorum gratiam, vnum argumentum quo penitus ac funditus tam perniciosum studiosæ iuuentuti dogma extirpetur, superioribus adiiciam. Quid enim, omnes aëris mutationes, ventos quoque ipsos à cœlestium corporum influxu pendere luculentius, testari potest: quam πρόδρομοι, ἐτήσιαι, atque ὀρνίθιαι dicti venti? Nam, πρόδρομοι seu præcursores, vt 6. Idus Iulij ab vrsa spirare incipiunt: ita 11. Calendas Augusti ponunt. Nec quisquam hactenus aliter euenisse depræhendere potuit. Lege nimirum naturæ in illis superius, cœlestibúsque corporibus inuiolata permanente. ἐτήσιαι porrò, quos annuos aut anniuersarios quidam rectè interpretati sunt, liquatis tandem niuibus pridie Nonas Iulij spirare incipiunt: 8. autem calendas Septembris silent. Neque totius anni residuo, aliquando spirauerunt. ὀρνίθιαι demum, ab auibus marinis nuncupati, post hybernum solstitium flatus suos inchoant, quando scilicet aues illæ apparere incipiunt. Accedit, quod ego quotannis mirari solitus sum: ἐτήσιας interdiu solùm spirare, noctu verò intersilere: quòd sanè maximum est argumentum, quo Siluij in astrologorum iudicia sententiam præcipitem certè magis, quàm res tanta postulabat) euertere, necnon ventorum caussas tum effectrices, tum sedatrices: planè cœlestes stabilire, possumus. Cum itaque, spiritus cœlestium superiorúmque corporum influxibus, nunc agitentur: nunc conquiescant, & (iudice Siluio) aëris mutationes in 4. anni temporibus efficiant: qua de caussa obsecro, positis astrorum effectis, nempe ventis, eorundem caussas nimirum influxus repudiabimus? Absurdum enim mihi videtur, effectum probare: cuius efficientem caussam derideas, & pro nihilo ducas.

cas. Nisi fortè, quiſpiam medico ſatis eſſe credat, ſi cum vulgaribus inſpecto ſigno verſatili ædificio quodam æditiore poſito, Boream, Auſtrum, Eurum zephyrum, aut alium quemuis ſpirare pronunciet. Verùm, quur ſpiret, necnon quando ſilebit, prænoſcendum: ſi modo generoſus haberi cupit. Hippocratis autem teſtimonium Apho. 5. lib. 3. quo vtitur Siluius, ſi ad ventos,& corporum ab his profectas alterationes refert:conſentimus. Nam, Auſtri (inquit bonus ille ſenex Hippocrates) auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, & cetera ibidem tractata. Si verò ad influxus corporum cœleſtium, ipſorúmve ſuper hæc inferioris mundi corpora(maximè aërem omnium promptiſsimè alterabilem vires accommodari poſſe credit) penitus diſſentimus: propterea quòd, certo certius nec Hippocratem, nec Galenum, nec Paulum Aeginetam, nec Aetium, nec Fuſchium ipſum, de iudiciis aſtronomicis malè ſenſiſſe, compertum habemus. Porrò, quæ nunc retuli ſi cum ſequentibus confirmantur, non ſit mihi dubium quin iſti malè perſuaſi homines aſtrorum ſcientiam medico inutilem eſſe putantes, mox reſipiſcant: vtpote, quibus turpiſsimum foret, Hippocrarem atque Galenum duces ſibi proponere: quorum veſtigia nullo pacto ſequi velint. GAVT. Quænam ſunt hæc quæſo, quibus euidentius duos illos medicorum principes ſummos Iatromathematicos fuiſſe, docere poſsis? CAR. Quæcunque de diebus decretoriis, contemplabilibus, & intercidentibus ſcripta nobis reliquerunt. Hæc autem, quoniam Fornerius ex me audire, priuſquam ſecundæ, ac tertiæ rationi tuæ occurrat, cupit,dicam profectò quanta maxima fide, ac diligentia licebit:ſumpto exordio ab his quæ manifeſtè apparent,quòd nimirum, ſine exacta cœleſtium motuum noticia, impoſsibile illis fuerit, tam exquiſitè dies illos ordinaſſe. Non quidem ex vi munerorum (vti Pythagoræ, eiúſque ſequacibus viſum eſt) ſed (me hercle) natura rerum numeratarum, quas ſapientiſsimus conditor Deus creauit: vt ipſarum cognitione adiuti futuri medici, criſes morborum tempeſtiuè præuiderent, ad quas etiam reſpicientes, totam victus rationem inſtituerent: ne ſtatu morbi aut præſente, aut impendente, natura ſuccumberet. Dum enim fiunt criſes, iudicantúrque morbi: æger reo cuipiam ſimilis eſt. Vt namque reus cauſſa ſua coram iudice exagitata, aut vitæ, aut mortis ſententiam expectat, ſic profectò, æger natura ſeu facultate expultrice cum morbo adhuc

luctante, hinc illinc agitatur, donec alterutri victoria cesserit: liceátque præsenti medico tutò, & verè, de futura vel sanitate, vel morte iudicare, Cuius rei gratia, rectissimè mouebat Galenus cap. 2. lib. 3. crise. cap. 6. eiusdem. cap. 5. eiusdem. nihil esse in quo rationalem medicum diligentiùs exerceri oporteat: quàm in futuri vigoris prænotione. In hoc namque solo, crises perfectæ fiunt, quotocumque die contingant. Nec enim, morbi omnes eisdem numero diebus iudicari possunt: verùm, quidam citiùs, paucioribúsque diebus: alij autem tardiùs, pluribúsve iudicantur. Vnde, Hippocrates, & Galenus varios decretorios statuerunt, de quibus (methodo seruata) differam, vbi generalia morborum, ac crisewn discrimina proposuero, initio à crisibus sumpto. Crises igitur aut bonæ sunt, aut malæ. Bonæ quidem, si ad sanitatem desinunt. Malæ verò, si ad ægri perniciem tendunt. Rursus, bonarum quædam perfectæ sunt, quæ nimirum sanitatem penitus restituunt, nihilque ex morbo relinquunt. Imperfectæ contra, quæ tametsi in sanitatem spectant, ac tendunt: aliquid tamen in corpore cuius medicum rationem habere oporteat, reliqui faciunt. Vnde Hippocrates Apho. 12. lib. 2. Quæ relinquuntur in morbis post iudicium, recidiuas facere consueuerunt. Malæ iterum crises, aut perfectæ, aut imperfectæ sunt. Perfectæ quidem, quibus æger subito iugulatur, ac moritur. Imperfectæ verò, quæ insigniter ad deteriora vergunt, & declinant. Sunt insuper quædam crises certæ, quæ scilicet nullum recidiuæ metum offerunt: quas etiam fidas, firmas, securásque dicere possis: sicut his oppositas incertas, infidas. Sunt præterea nonnullæ tutæ, quòd sine periculosis symptomatibus accidant dictæ. Aliæ verò, periculosæ, & multis grauibus accidentibus copulatæ. Postremò, crises quædam cum signis accidunt, & die contemplabili quales sint futuræ præuidentur. Ceteræ, subito & ex improuiso contingunt: quæ non indoctis modò, verum etiam doctis ac peritis artificibus negocium facessunt. Hæc porrò iudiciorum discrimina medicum ad vnguem tenere, exactéque callere oportet: si modò Hippocratis, & Gale scripta rectè percepturus est. Ipsi enim, aliquando diem omnē à primo insultu morbi (ab hoc namque initium capiunt dies isti) decretorium esse volunt, quotidiéq; fieri crises contendunt. Nonnunquam verò, 7. 14. & 20. tantum recipiunt. Quandoque etiam 27. 34. 40. decernere scribunt. Rarius, 60. 80. 100. rarissimè verò, 120. quo tamen Heropi-

thon

thon (teste Hippocrate 3. Epide. perfectam crisim habuit. Vt autem criseωn, ita morborum generales hic statuendæ sunt differentiæ: quòd scilicet quidem acuti, & celeres: alij verò hebetes, ac tardi. Acutorum porrò, nonnulli simpliciter acuti, qui (teste Hippocrate aph. 23. lib. 2. 14. diebus iudicantur. Non per Iouem, quod omnium crisis in 14. incidat: hoc enim manifestæ experientiæ pugnat, quæ multos id genus morbos 11. 9. 7. aut 5. iudicatos testatur: imò & 6. (si Galeno credimus lib. 1. de die. decreto.) sed non bene. Quippe, hic dies iudicat vt tirannus, quemadmodum 17. veluti rex: sed, quoniam nullus eius naturæ morbus, vltra 14. crisim protendit. Alij verò degenerant, & ad 20. vsque diem progrediuntur. Quinetiam nonnulli ad 40. procedunt: quos quidem acutos non simpliciter, sed ex decidentia medici vocare consueuerunt. Rursus simpliciter acutorum quædam statuuntur discrimina. Qui namque sunt peracuti, statimque extremos labores: (vt scribit Hippocra. apho. 7. lib. 1. inferunt, 7. diebus perfectè iudicantur: tametsi in his crisis quoque anticipare queat. Qui verò sunt acutissimi, 4. diebus iudicantur, vtpote, quos natura diutius perferre non valens, mox assurgit, & in arenam cum morbo pugnatura in primo statim dierum decretoriorum circuitu (vti rectè sentit Galenus commento aph. 6. lib. 5. descendit. Tales autem, sunt conuulsiones, neruorúmque distentiones: quarum etiam meminit Hippocrates aph. 6. lib. 5. Quicunque (inquit) à distentione corripiuntur, in 4. diebus pereunt: si verò has euaserint, sani fiunt. Huiusmodi etiam febres de quibus apud eundem Progno. 2. lib. 3. ita legitur. Vt enim saluberrimæ febres, quæ videlicet tutissimis fulciuntur notis, die 4. vel antea quiescere solent: ita pessimæ quæq;, & quibus perniciosa adsunt signa, die 4. vel citius interimunt. Longorum autem differentiæ statuuntur, quòd partim diebus, partim mensibus, partim quoque annis iudicantur. Quamquam hæc iudicia teste Galeno lib. 3. cri. cap 1. λύσεις potius quam κρίσεις habēda sint, propterea quòd iudiciorum vehementia, ac certitudo procedente tempore paulatim dissoluitur. Porrò, qui diebus iudicantur morbi longi, initium capiunt à 40. & ad 120. progredi possunt: vlterius verò minimè, quoniam quartus mensis illic desinit, qui septimi iudex erit. Quare, non amplius dierum, sed mensium: dehinc annorum habenda contemplatio. His distinctionibus veluti firmis fundamentis iactis, supposito lunæ motu tanquam cœle-

sti caussa crisewn, dies omnes criticos, eorúmque significatores, in morbis qui ex doctrina Hippocratis, & Galeni circuitu dierum finiuntur: per quaternarios, & septenarios, à primo insultu morbi horáque manifestè læsæ actionis incipiens, ordine commemorabo. Deinde, problemata quædam subiiciam, quibus dispositionis ratio clarè perspici queat. Contẽplabiles igitur, ad 120. (hunc quippe numerum vti dicebamus, non excedunt) sunt contemplabiles 4.11.17.24.31.37.44.51.57.64.71.77. 84.91.97.104.111.117. decretorij verò 7.14.20.27.34.40.47.54. 60.67.74.80.87.94.100.107.114.120. Neque est quod huius disciplinæ studiosi, sese in quærendis septenariis discrucient. Omnis enim decretorius post 7. est septenarius respectu præcedentis. Quare, septenorum numeri decretoriorum calculo penitus respondent. Pari ratione, nulla illis est occasio, qua sollicitè, & anxiè quaternarios disquirent. Si enim prædictos numeros artificiosè contemplati fuerint: omnes tam contemplabiles, quam decretorios, quaternarios esse comperient. Quemadmodum enim primus quaternarius die 4. finit, ita secundus 7. tertius 11. quartus 14. quintus 17. sextus demũ 20. die terminatur: eáque ratione ac via ad 120. procedendum. GAVT. Si omnis dies decretorius est 7. à præcedenti, quur quæso 20. potius, quàm 21. ab Hippocrate apho. 24. lib. 2. & Galeno criticus statuitur? Nam, à 14. ad 20. 6. tantùm numerantur. Cuius rei gratia, 21. iure potiore quàm 20. pro critico recipiẽdus videtur: cuius quidem significator 18. constituatur. CAR. Si solam numerorum seriem in iudicandis morbis contemplaremur, profectò tecum penitus sentirem. Verùm, quum & rationem, & experientiam duces potissimum sequamur: planè diuersum sentire compellimur. GAVT. Quam ob rem? CAR. Propterea quod luna iudiciorum cœlestis domina, non 28. diebus naturalibus, sed 27. duntaxat cum $\frac{1}{3}$. horas 8. constituente, motum suum absoluit. Qua etiã de caussa, si 21. decretorius statueretur, operæpretium foret postremam lunæ 4. in diem 28. incidere. Hoc autem, inuictis astronomorum demonstrationibus, & sapiẽtum medicorum experimentis prorsus aduersatur. Pręterea, Hippocrates, Galenus, Heraclides, Archigenes, Diocles, Philotimus, aliíque complures summi profectò medici, qui quoad vixêre, in quouis morborum genere criticos, significatorésque eorum cum intercalaribus exactissimè obseruarũt: communi consensu fatentur, ex tot ægrorum millibus paucissimos se vidisse, qui in morbis

acutis

acutis die saltem 20.certißimis signis 17.prænunciatis iudicati non fuerint.Ipsa quoque ratio doctrinæ Hippocratis consonat. Nam, luna cuius præcipuè motui dies isti seruiunt, primum cœli 4.ante 7.diem percurrit, 4.scilicet horis anticipatis. Qua de caussa etiam si vel vniformiter moueretur,atque regulariter: nullo tamen interea pacto, tertia ipsius 4.diem 121.attingeret. Addito si lubet, quod eadem luna quanto plus distat à sole,tanto celerius mouetur. Quibus de caussis, experimenta Hippocratis, Galeni, ceterorúmque summorum medicorum obuiis vlnis amplectimur 20.diem decretorium, sicut 17. eius significatorem, recipientes.Porrò, quum medicorum citra controuersiam sententiæ,40.vt morborum acutorum ex decidentia finis recipiatur: profectò 20. potius quàm 21.admitti, par est, alioqui non 40.sed 42.decidentiũ acutorum finis statuatur necessum est. Huius autem 42. nusquam inuenias Hippocratem meminisse, sicuti nec 18.21.25.28.32.35.63.84. Qua etiam ratione ductus idem Hippocrates,summus profectò Iatromathematicus,aph.24.lib.2.quum primam septimanam à secunda disiunxisset, mox huic tertiam copulauit, vnum eundémque diem vtpote 14.finem secundæ, & principium tertiæ constituens,vti verba ipsius apertè demonstrant. Septenorum quartus est iudex, octauus autem alterius septimanæ principium. Est & vndecimus contemplabilis, ipse enim est quartus alterius septimanæ. Rursus verò, & decimusseptimus contemplabilis, ipse siquidem quartus est à quartodecimo, septimus verò ab vndecimo .GAVT. Quum in diebus istis tum contemplabilibus, seu significatoribus, tum decretoriis, ad 120. (vt sentis) progressus fiat, qua obsecro de caussa, Hippocrates cuius verba scripto nobis relicta in medium adduxisti, 4.7.11.14.& 17.tanquam 20.significatoris duntaxat meminit? CAR. Quòd in aphorismo iam citato, 20.non excedit bonus ille senex Hippocrates, multæ profectò, eęque grauißimæ caussæ subsunt. In primis namque,& quaterniones 6.& septenatij 3.die morbi 20. finientes, nec ordine solo,verùm etiam dignitate naturæ ceteris pręstantes, his arithmeticæ limitibus coarctantur. GAVT. Quibus de causis tandem istud persuadebis? CAR. Quoniam iudiciorum notas ceu regulas quasdam certißimas, ex sua natura suóque quasi iure, continent. Ad quas profectò, animum dirigens rationalis medicus, multum emolumenti ad curationes morborum consequetur. Neque his timebit,qui certis diebus

iudicati sunt: neque incertis diebus iudicatos parum diligenter obseruabit. Præterea, ordinatiores, tutiores, firmiores, perfectioresque ceteris existunt: vtpote nec morbo, nec naturæ viribus adhuc obscuratis: ex quibus (præsertim 7) verissimè de salute futura (in morbis præsertim acutis) pronunciare licet. Nihil quippe, dies isti ex aliis mutuant. Septimi porrò naturā 14. imitatur, & clarè tutò, perfectè, sinéque periculo decernit. Post quem 20. qui primi ordinis vt 7. & 14. iure habetur: sicut 27. 34. 40 secundi: 47. autem, 54. 60. tertij: reliqui verò ad 120. ordinis notæque postremæ existunt. Adde si lubet, quòd eadem proportione seruata, cuius arithmeticam callenti medico, non modò à 20. ad 40. verumetiam 120 progredi licebit, priores duas hebdomadas diebus integris ab inuicem separando, tertiam verò secundæ capulando. Neque rursus velim, quempiam eò dementiæ peruenire: vt Hippocratem nulla ratione adductum, die 20. tertium septenarium absoluisse, credat. Nulla quippe alia vel meliore, vel commodiore via, medicinæ studiosos ad finem calculi dierum istorum perducere poterat. Nullus enim numerorum 120. præcedentium aliquoties auctus, aut 40. aut 60. aut 80. aut 100. aut postremo 121. perficere valebat, præter 20. qui bis sumptus, 40. ter verò auctus, 60. quater multiplicatus 80. quinquies ductus, 100. sexies postremo auctus, 120. constituit numerum. In istis autem dierum criticorum progressionibus, hoc vnum singulari diligentia prudenti medico perspiciendum: quòd vti primis decretoriis vehementissimæ, quæque nullum medicum latere possunt, fiunt crises: mediis autem remissiores, paulóque obscuriores, postremis obscuræ, quæ (vti dicebamus) λύσεις potius quàm κρίσεις dicendæ. Ita profectò, vltimi criticorum planè obscurantur, quum interim persistant: sibique similes perseuerent qui perfectum circuitum, 20. primis diebus comprænhensum, describunt. Qua sanè de caussa, vel maxima, hos solos vt naturæ perfectioris in aphorismis sibi exprimendos credidit Hippocrates. Qui tamen, 1. Epid. sect. 3. & hos, & succedaneos omnes satis expressit. Iam ni fallor, numeros, ordines, atque naturas dierum decretoriorum, eorúmque significatorum tenetis, quantáque astrorum scientia medicinæ principes claruerunt, perspicitis. Quare, priusquam problemata promissa in medium adducam: de intercalaribus, seu decretoriorum atque contemplabilium mediis, quos intercidentes non ineptè vocant, paucis agam, quò nimi

nimirum Iatromathematicæ contemptores manifesti erroris conuincam. Isti ergo dies, neque prædictorum naturas, neque vtilitates habent. Quum enim, contemplabiles eorúmque decretorij (primi potissimum circuitus) perfecti sint, solius naturæ motu factam crisim ostendunt: & futuri vigoris in morbo summi præcognitionem quaternarij suppeditant. Intercidentes verò, qualis facta crisis fuerit, euidenter ostendunt: necnon de his, quæ post decretorium agenda sunt, prudentem medicum admonent. Quæ res profectò, non parui in re medica momenti censenda, propterea quod imperiti medici naturæ hostes, potius quàm ministri: vbi primùm ægros, etiam absque ratione, paulo melius sese habere didicerunt, tanquam crisi perfecta iam consummata, victum liberaliorem ægris temere concedunt: eáque licentia, in recidiuas, primaria affectione multo sanè deteriores, atque perniciosiores, præcipitant. Cuius rei gratia, Geruasij maquinogni tum in aliis multis eisque summis artis medicæ operibus, tum in ratione victus præscribenda diligentiam, atque prouidentiam semper probaui. Qui verò sunt dies isti intercalares, medij, seu intercidentes, ex contemplabilium criticorúmque prius nobis tradita dispositione, nullo negocio discent huius artis studiosi. Problemata igitur nunc accipite. FORN. Propone.

1 Omnis dies à primo principij morbi puncto ad extremum mortis, vel reparatæ sanitatis terminum, decretorius est.

2 Medico rationali naturas dictorum dierum callenti, non modò diem verumetiam horam mortis præsagire, datum est.

3 Non tantū suo motu celerrimo luna dies criticos efficit, sed instar ceterorum planetarum peculiares etiam excitat morbos.

4 Pythagoræ, eiúsque sequacium numeri, non plus ad crises morborum quam ideæ Platonicæ ad rerum generationes, emolumenti conferunt.

5 Natura sola omnibus morbis medicandis sufficit.

FORN. Ista mihi paradoxa potius, quàm problemata videntur. Quare, probabilia si lubet, reddito: sic enim de posteritate optimè mereberis. CAR. Primum est Galeni initio lib. 1. de dieb. decret præclara sententia, singulis diebus crises seu iudicia morborum accidere testantis: necnon tot esse iudiciorum, quod decretoriorum differentias (lib. 1. criseωn) affirmantis: quamuis alibi crises ante statum vel in ipsomet fieri: in declinatione verò neminem mori testetur. Cuius rei gratia, si prædicta

dictarum diuisionum tum criseon, morborum estis memores, iurisque sensibus eas à nobis, vt bases præsentis disputationis propositas, reposuistis: mox huius primi problematis veritas elucebit. Omnis quippe dies decretorius quidem est, non tamen eodem modo decernere natus. Quidam enim (præcipuè septimus) perfectè, securè, apertè, signisque precedentibus iudicant. Alij verò contrà, imperfectè, infidè, obscurè, nullisque signis die significatore præmonstratis, decernunt. Atque horum nonnulli ad mortẽ, ceteri porrò, ad sanitatem vergunt. GAVT. Quænam est tantæ varietatis caussa? CAR. Plures sunt Gautere, inter quas lunæ motus celerrimus, variique ipsius ad solem, ceterósque planetas aspectus principatũ obtinent. Quamquam naturę signorum zodiaci (quæ singulis mensibus omnia percurrit) non paruam hac in re autoritatem teneant. Nulla quippe (vti rectè disseruit Fornerius) corporis est particula, quæ alicuius 12. signorũ viribus non subiiciatur. Quibus de caussis, in lunæ 4. ad solem notabiles ambientis nos aëris mutationes contingere, necessum est. Adde, quod eodem tunc inspirato, corpora nostra insigniter alterantur. Vnde profectò, certiores, tutiores, atque perfectiores: tum fiunt crises. Taceo interea, hæc ipsa corpora in motu perpetuo, alteratione que versari: Cuius rei gratia, Hippocrates Apho. 1. lib. 1. occasionem præcipitem admodum rectè pronunciauit. Nihil igitur mirum, si quotidie alteratis corporibus malè affectis, noua quoque iudicia fiunt: præsertim à rationalibus & dogmaticis, qui etiam 4. morborum tempora tam vniuersalia, quàm particularia, medicando diligentissimè obseruant: quique indies noui quidpiam præscribunt, nunc victui pauxillum addentes, nunc minuentes, nunc etiam mediam sapientissimè præcipientes. Neque tamen, hac consilio decretoriorum dierum ordo perturbatur: quoniam Hippocrates, & Galenus eos nobis tradiderunt, quos longa experientia certiùs, atque perfectiùs decernere, ac iudicare depræhenderũt. Nec etiã huic nostro problemati primo, aduersatur verissima Galeni (cap. 1. lib. 1. crise. sententia: neminem declinante morbo aliquando vi eiusdem periisse, quòd scilicet status tempore, aut paulo ante, vel ad mortem, vel ad vitam crises fieri consueuerint. Hæc enim de perfectis crisibus accipienda sententia, quibus nimirum ne tantillum quidem relinquitur, cuius medicum rationem & curam habere oporteat. Si verò (etiam morbo consistente) iudicia minus perfecta

fecta fuerint: nihil prorsus vetat, duplici crisi fieri quod vnica perfici nequiuit. GAVT. Solúsne ille corporum cœlestium motus, iudicandis morbis satis esse potest? CAR. Primus quidem est, non tamen solus inspiciendus: alioqui vniuersa medicinæ theoremata vanescerent: frustráque medicinam altissimus de cœlo creauisset, medicos etiam honore debito afficiendos præcepisset cap. 38. lib. Iesu Syrach, seu ecclesiastici. Quam ob rem, deprænso lunæ motu, eiúsque ad ceteros planetas aspectibus, pars anni, temperamentum ægri, natura tum morbi, tum caussæ illum excitantes, pulsus, vrinæ, alui recrementa, expuitiones etiam ipsæ, aliáque complura ex quibus signa futuræ crisis pendent, obseruanda sunt. Nam, si die contemplabili bona signa apparent, bonam quoque crisim prænunciant. contra verò, malam si deteriora visa sunt. Verùm, quia signorum natura simplex non est, de his quoque pauca dicturus sum: quò medicinæ & astrologiæ coniunctionem cuiuis medico necessariam, demonstrem. Horum igitur, quædam coctionem, aut cruditatem demonstrant: & si affectus in genere venoso continetur, in vrinis apparent, si in ventre imo, ex alui recrementis: si verò in thorace ex sputis, seu verius expuitionibus discernuntur. Alia, sanitatem aut mortem designant, vt color niger in vrinis, melancholicæ deiectiones initio morbi: sputa etiam nigra aut liuida in pleuriticis, & (vt vno verbo dicam) vniuersa quæcunque Hippocrates lib. 3. præsa. doctissimè, & grauissimè persequutus est. Tertium porrò genus, est eorum quæ Græci κρίσιμα, idest iudicatoria, vocant. Quorum etiam natura duplex. Quædam enim, caussæ & signa simul sunt, vt vomitus, alui excrementa, vrinarum multitudo, sudores tempestiui, ab Hippocrate Aphor. 36. lib. 4. descripti: hæmorrhagiæ, parocides, atque ἀποσκήμματα, hoc est decubitus, & defluxus humorum ex vno loco in alium. Reliqua verò, signa sola sunt: vt delirium, vigiliæ, commata, inquietudines, difficilis spiratio, obtenebratio, dolor capitis, colli, & stomachi, tinnitus aurium, splendores, lachrimæ inuoluntariæ, nox absque ratione molesta, labrum inferius peruersum, ac resolutum: obliuio, rigor vehemens, accessio anticipans, Hippochondriorum retractio, nausea, æstus immodicus, satísque vehemens. Hæc igitur vniuersa, eorúmque contratria, si diligenter obseruentur, indubiam crisim, qualiscunque tandem futura sit, præmonstrabunt. Neque mihi obiiciat quispiam, hæc à Galeno

cap.

cap. 14. 1. lib. cri. cap. 8. 1. lib. crise, symptomata vocari. Quæ enim ratione futuram crisin ostendunt, signa sunt, eáque critica: verùm, si vt morbos sequentia cum Galeno lib. de sympto' caussis & different. speculatus fueris, iam non signa, sed symptomata cum eodem rectè dixeris. His itaque vniuersis accuratè contemplatis patere arbitror: quo sensu, quáque mente omnem diem à primo principij morbi puncto ad extremum vitæ, aut restitutæ sanitatis terminum, decretorium esse, audire oporteat. Qui verò, bene aut malè, perfectè, aut imperfectè: qui etiam absque periculo, & tutò, aut cum vitæ discrimine decernunt, longa experientia & accurata diligentia perdiscendum. Qua quidem in re, Galenus lib. 1. de dieb. decre. generosum medicum & veri amatorem, laboriosum in omnibus rebus necessariis, quique theorematum difficultatem, aut temporis prolixitatem neutiquam vereatur, desiderat. Hic enim, non modo de primo nostro problemate, sed etiam secundo verissimè tandem pronunciabit: neque solum diem sed etiam horam mortis verissimè prædicet. GAVT. Qua industria id fieri posse contendis? Vt enim, morte nihil certius, ita eiusdem hora nihil nobis mortalibus ignotius esse videtur. CAR. Diuina potentia absolutè libera est, nec tantùm vitam prorogare, sed etiam (si velit) immortales ex mortalibus reddere potest: verùm, ab initio aliter illi visum est. Qua de re, particulares multas tum vitæ, tum mortis caussas disposuit: quibus sanè cognitis, futurorum prænotionem sapientibus, ac studiosis hominibus adipisci liceret. Vulgus autem (hoc enim mortis horam prænosci non posse contendit) beluarum more sensu magis, quàm ratione ducitur. Cuius etiam rei gratia præclaras omnes disciplinas pro nihilo ducit: & instar asini, multo pluris paleas quàm aurum obrizum facit. Verùm, hoc valere iusso, quanta sapientia tum dies, tum hora mortis certissimè prædici possit, accipe. Primum igitur, contemplanda signa coctionis, aut cruditatis. Nam, si crisis coctiones sequitur procul dubio bona erit: quod nullus (teste Galeno 1. Cris. 15. cap. 3. libr. 3. Cris. (vnquam mortuus fuerit, qui præcedentibus coctionibus crisim habuisset. Si contra, mala: & in deterius verget. Deinde, perspiciendum si die contemplabili significata fuit. Virtus enim diei decretorij huic est colligata. Verùm, malarum crise*ω*n notiones difficiliores, obscurioresque sunt, præterea quod naturæ motus ordinati,

per

per exitiales morbos insigniter perturbantur. Possunt tamen artificiosa coniectura cognosci. Si enim, verbi gratia, 4. die in vrinis visa est aut hypostasis, aut nebula nigra cum perniciosis accidentibus, procul dubio morietur æger. Atque si paroxismi diebus imparibus facti sunt, 7. die: si verò paribus 6. vitam finiturus. Quid verò multis opus? Nam, si morbi speciem ex symptomatibus adiunctis: magnitudinem ex eorumdem vehementia, morem ex diuturnitate superuenientium casuum, motum postremo ex tẽpore partium accessionis obseruaueris: nullo negocio moriturus conualiturúsve sit æger, præsagire poteris. Mortis autem dies, non à quouis, sed solo prudente medico præuideri: prædicíque potest. Hic enim, vbi primùm morbi suprà vires naturæ excessum magnum admodum deprçhenderit, eámque ex pulsibus non modò languidis, & paruis: sed etiam iam vermiculantibus, & pene formicantibus, parum resistere cognouerit, ægrum cito moriturum colliget. Demus autem, doctrinæ gratia, nondũ esse manifestum, vtrum vnum aut duos dies adhuc victurus sit, proxima tamen accessione moriturum non ignorabit. Sit ergo dies vna vitæ superstes, qua sanè hora status accessionis tum grauior, tum molestior esse consueuerat: morietur æger. Neque profectò, clam me est furor ille, ac rabies quorumdam affectuum: qui mox naturæ vires prosternunt, neque vnum deliberandi spacium prudentioribus medicis relinquunt. Verùm his tam perniciosis, subitísque morbis data opera ad præsens omissis: tertij problematis demonstrationem aggredior. Cuius sanè, pars prior ex Fornerij rationibus autoritate magni Ptolemæi fultis, iam nobis satis supérque perspicua euasit. Cuius rei gratia ipsam lunam instar ceterorum planetarum peculiares morbos excitare initio ab his sumpto, quæ sensibus notissima sunt: mihi demonstrandum. Qua enim de caussa, statis lunæ circuitibus comitialium accessiones repeterent, nisi horum generatrix & fotrix esset luna? Hæc enim, quum sit humidæ frigidæque naturæ, sensim copiam pituitæ in parte corporis frigida humida, nempe cerebro, coaceruat: qua distenti & repleti anteriores ipsius sinus, facultatem animalem illic præcipuè residentem, non modò grauant, sed etiam obruunt. Qua etiam de caussa, naturalis facultas expultrix illi opem suam communem facere festinat, atque in conflictu cadit æger: neque prius sese erigere potest, quàm pituita illa, seu mucus in dictis sinibus aceruatus, per ossa ethmoidea,

fora

foramina palati, & alias partes repurgando cerebro destinatas, vacuetur: vt ipsa quoque experientia luce clarius testatur. Verumenimuero, priusquam planetarios morbos explicare incipiam, hoc vnum aduersus iatromathematicæ contemptores ex Alchabitio edisseram. Quod scilicet, ab hora conceptionis ad partum: à quo rursus ad mortem, planetarum aliquis humano corpori dominatur. Vbi enim concepit mulier, ♄. per mensem integrum fœtum ipsum disponit. Mensis 2. est. ♃. 3. ♂. 4. ☉. 5. ♀. 6. ☿. 7. ☽. 8. ♄. 9. ♃. Vnde, luce meridiana cuiuis medicinæ factori patere arbitror, quur pueri mense octauo nati, viuaces non sunt: quam etiam ob caussam, iidem in vteris nullo errore matrum admisso moriuntur, mortísque occasionem, dum vi trahuntur, suis genitricibus præbent. Quod etiam in honestissima matrona vxore Tertij de aria ciuis honorati experti sumus. Qui verò 7. in lucem eduntur, quamuis imbecilles admodum: tamen beneficio lunæ nutritioni fauentis, vitam prorogare solent. Quibus de caussis mirari subit, quomodo cœlestis disciplinæ ignari medici, grauidas mulieres tractare: medicaríque non verentur, quod hac in re Iatromathematica penitus necessaria sit. Ego quoque, duas mulieres Montalbani ciues primis mensibus vtero gerentes, febribúsque continuis correptas: astrorum potius quàm medicamentorum viribus sanitati restitui. Neque (vt indocti facere consueuerunt) matrem cum fœtu iugulaui. Iam, quæ à partu seu hora natiuitatis speculanda sunt planetarum dominia, persequamur. In primis igitur, maxima horæ natiuitatis ratio habenda, si nimirum, diurna aut nocturna fuerit: propterea quòd fridariæ planetarum, capitis etiam ac caudæ drachonis, pro harum diuersitate variant. In fridaria namque diurna, quando scilicet inter ortum & occasum infans nascitur, ipse ☉. primas obtinet. In nocturna verò, ☽. reliquorum autem planetarum nullus fridariam incipit. Quum igitur natiuitas diurna fuerit, fridaria hoc est dominium ☉. super vitam pueri, est 10. annorum. ♀. 8. ☿. 13. ☽. 9. ♄. 11. ♃. 12. ♂. 7. ☊. 3. ☋. 2. Fiúntque anni 75. quibus diurna fridaria planetarum 7. capitis item & caudæ completur. Qua transacta reditus fit ad ☉ & reliquos, ordine præcedenti seruato. Si autem natiuitas nocturna fuerit, ☽. fridaria erit 9. annorum, ♄. 11. ♃. 12. ♂. 7. ☉ 10. ♀. 8. ☿ 13. ☊. 3. ☋. 2. rursúsque fiunt anni 75. vbi nocturna fridaria desinit. Alia quoque ratione hic planeta

netarum principatus obſeruatur, vtpote per annos minores eorumdem, hoc modo. Primis 4. annis dominatur ☽. & iſti dicuntur anni lunæ nutritiui, poſt hanc. ☿. 10. ♀. 8. ☉. 19. ♂. 15. ♃. 12. ♄. 30. ☊. 3. ☋. 2. efficiunturque anni 103. humanæ vitæ curſum comprehendentes: quem vt pauci attingunt, ita pauciores excedunt. Vnde profectò, optimi quique medici de ætate, annorúmque numero ipſius ægri ſollicitè perquirunt. Non ſanè per Iouem, vires ægri hinc coniectare ſtudentes, ſed primam morbi cauſſam ſtudioſè inueſtigantes. Cognito namque planeta dominante, quibus medicamentis propellendus ſit morbus: veriſsimè cognoſcetur. Reſipiſcant igitur, Iatromathematicæ contemptores, & mutato conſilio meliora ſapere cogitent: nequando illis ob tot cædes prætextu medicinæ factas, iraſcatur dominus: & portionem hæreditatis eorum cum impiis reponat. Hunc autem vitæ noſtræ curriculum, plurimi tum caſus fortuiti, tum morbi viribus aſtrorum primitus excitati, non modò perturbant, verumetiam remorantur. Nam, luna terris finitima, epilepſias, arthridides, conuulſiones, tympanitas, apoplexias, paraliſes, lethargos, comata, catalipſes, cathocas, grauedines, rancedines, catharros, oculorúmque vitia frigidis humidíſque de cauſsis profecta, membrorum laxationes, oppilationes, & cetera id genus mala (niſi aliunde impediatur) corporibus pituitoſo temperamento præditis, adferre conſueuit: quòd nimirum, huic humori ſingulari quadam naturæ prærogatiua dominatur. Hæc porrò cancri ſignum ♋ propriam domum ſortita, necnon meridionalem ſeu terream ſignorum triplicitatem nocturno tempore dirigens: ſecundam quoque ♉ .tertiam ♋.primam ♎.ſecundam ♐.& poſtremo tertiam ♒. faciem gubernans: in tertio gradu ♉ . exaltata, vires ſuas in mare primùm, deinde fulmina præcipuè maiora (qualis eſt Danubius) exercet. Deinde, ad penetralia terræ traductis influentiis, argentum, criſtallum, ſelenitem, id eſt lunarem lapidem, margaritas, ſeu perlas quas vocant, berillum, aliáſque gemmas gignit. Pręter hæc, miris modis anſeres, anates, mergos, ardeas, oſtrea, conchilia myntulos, ranas, cancros, coclearum genus omne exhilarat. Chameleontem quoque, canes, ſues, feles, capras, & alia id genus homini familiaria animalia terreſtria, recreat. Neque ſola hæc, ſed etiam caſtores, lutres, & eius naturæ amphyuia animantia regit.

 git.

git: & sua præsentia lętiora reddit. Mercurius autem, hinc proximus, vertigines, animi inquietudines, tusses, (siccas præsertim) horribiles cogitationes, linguæ vitia, intertrigines, perniones, sputorum affluxus excitat. Sic autem, in ♊. & ♍. velut domo sua quiescens, & primam ♉. secundam ♋. tertiam ♍. primam ♐. & secundam ♒. faciem regens, necnon aëream triplicitatem nocturno tempore disponens, tandem in 15. gradu ♍. exaltatus, humores omnes corporis promiscuè mouet. Argentum quoque viuum, ac stannum, suis influentiis in terræ penetralibus generat. Smaragdum etiam cum achate, porphirio, topazio, reliquísque gemmis vario colore mortalium oculis gratissimis, gignit. Animalia insuper volatilia, harmoniæ musicæ amicæ: vt ficedulæ, cardueles, alaudæ, turdi, merulæ, philomelæ, calandres, psitaci, picæ, graculi, huius naturam sequuntur. Ex terrestribus porrò, canes venatici, simiæ, vulpes, mustellæ, nucifragæ, mercuriales sunt. Huic tam vario sideri placidissimum veneris astrum sapientissimus conditor immediatè coniunxit, quod tamen circa pudenda, genitaliáque mulierum membra, fistulas, & perniciosa apostemata generat. Qubus addere licet, œdemata, satiriasim, priapismum, gonorrheam, cuius meminit Galenus, pollutiones nocturnas, illicitorum concubituum desideria, insaniam ex amore (græcis ἔρως dicitur) morbum communem, gallicum, hispanicum, neapolitanum vulgo nuncupatum, aliáque plurima qua venerem comitantur mala. Hæc autem, in ♉. & ♎. velut sua domo residens, atque diurno tempore aqueam triplicitatem moderans, primam faciem ♋. secundam ♒. tertiam ♈. & ♏. regit. Postremò, in 27. gradu ♓. exaltata, influentiis deorsum proiectis, æs croceum, & rubrum, cuprum quoque gignit. Adde si lubet, gemmas pulchri, albi, viridis, variique coloris: cuiusmodi sunt crisolitus, smaragdus, berillus, saphyrus, Iaspis, corneola, corallus, lapis lazuli, & ceteris id genus. Huius quoque naturam, aues pullorum suorum amantes, vt hirundo, pellicanus, motacilla, columba, turtur, passer, gallina, & aquila sequuntur. Ex terrestribus verò, hircus, & taurus præcipuè in venerem propensi sunt. Tribus prædictis planetis, sol ipse rex, & moderator astrorum succedit, à quo sanè non modo plurima bona, sed etiam pauca mala procedunt miserisque mortalibus eueniunt: in primis palpitationes cor-

dis,

dis, cardiacæ pasſiones, dolores capitis à calido vel ſpiritu, vel humore originem ducentes. Huius domus eſt ♌. ſub quo triplicitatem orientalem: primam quoque ♍. ſecundam ♈. & ♒. tertiam. ♊. & ♑. faciem regit. Vbi verò 19. gradum ♈ exaltatur reſidet, ſuis viribus plane diuinis, aurum, carbunculum, criſolitum, hiacinthum, pyrophilon, chryſopraſum, rubinum, balagium, ceteras etiam aurei coloris gemmas procreat. Aquilam quoque, cignum, gallum gallinaceum, & accipitrem exhilarat. Ex terreſtribus verò, leones, lynces, crocodilos, arietes, tauros, & cetera quæcunque victoria gaudent, principatum ambiunt, præcipuè regit. Solem mars conſequitur, acutiſsimos excitans morbos: nempe febres continuas, ardentes, exquiſitas tertianas, inflammationes hepatis, phreniti-des, eriſipelata, hemicranias bilioſas, choleram morbum, nephritidem, icterum flauum, diſenterias. Sic autem in ♈. & ♒. domicilium ſortitus, aqueam ſignorum triplicitatem noctu regit: & in 28. gr̃. ♑. exaltatus, primam ♈. & ♒. ſecundam ♑. & ♊. tertiam porrò, ♌. atque ♓. faciem gubernat, necnon ſuis viribus in penetralia terræ demiſsis, ferrum in primis, deinde chalibem generat. Naturam iſtius ſideris, aues rapaces & carniuoræ: vt accipitres, vultures, milui, corui, falcones, & præ ceteris omnibus picus imitatur. Piſces quoque nonnulli, vt lucius, mulus, paſtinaca marina, lupus, quique vocaciſsimi: & rapaciſsimi perhibentur, martiales ſunt. Nec deſunt terreſtria quædam eius naturæ, quales ſunt equi, muli, feles nigri, hirci, lupi, pardi, & onagri: quæque hominibus ſunt infeſta, vt ſerpentes, drachones, pulices, muſcæ, & cynocephalus animal iracundiſsimum. Prædictis proximum Iouis ſidus, optimum, fortunatum, & vitæ amiciſsimum: quod tamen pleuritides, anginas, dolores capitis, & pectoris, ex ſanguine copioſo, cui ſingulariter iſte planeta dominatur, ſinochos non putres, diarias, peripneumonias, apoplexias ex plenitudine, phlegmonas, omnes quoque præter naturam ex ſanguine tumores generat. Iouis domus ♐. & ♓. vbi triplicitatem igneam noctu diſponit: primàmque ♊. & ♑. ſecundam ♌. & ♓. tertiam porrò ♎. faciem regit. Tandem verò, in 15. gr̃. ♋. exaltatus, in viſcera terræ proiectis ac demiſsis influentiis, aurum, argentum, ac ſtannum, temperata gignit. Gemmas quoque, hiacinthum, ſaphirum, ſmaragdum, iaſpi-

dem viridem, producit. Addite (quod mihi semper admiratione dignum visum est) volatilia, natatilia, & gressilia vniuersa, pietatis quandam imaginem præ se ferentia: huius planetæ mores imitari. Inter volatilia quidem, gallinæ, perdices, phasiani, hirundines, pellicani, ciconiæ, pauones, quibus ob clementiam, ac iustitiam: aquilas adnectere licet. Ex natatilibus, delphinus piscis celebratur. Oues autem, atque agni in gressilibus principatum humilitatis, atque pietatis cuiusdam naturalis tenent. Postremus omnium planetarum, & à nobis remotissimus est Saturnus, lepras, morpheas, podagras, strumas, desipientias, furores, febres quartanas, melancholiam morbum, manias, incubum, hæmorrhoidum dolores, calculos, hernias, ischiadas, vterorum cuncta vitia, colicas flatuosas, hydropes anasarcas, cachexias, asthmata, surditates, hepatis ac lienis inflammationes, phtises, & postremò melancholici succi vniuersam sobolem excitans. Huius domus ♑.& ♒. exaltatio verò 21. gr. ♎. Primam verò ♌. ac ♓. secundam ♎. tertium ♉. & ♐. faciem disponens, plumbum, grauiáque omnia metalla gignit. Gemmas verò, chalcedonium, iaspidem fuscum, onichinum, & magnetem lapidem producit. Saturni naturam grues, noctuæ, vespertiliones, bubones, struthiones, & vppupæ maximè sequuntur. Ex genere piscium anguillæ, murenæ, testudines, spongiæ marinæ, ostrea, conchilia, potissimum viribus saturni reguntur. Inter ipsa porrò terrestria, tum gressilia, tum reptilia, huius planetæ ductu maxime timida, multi laboris, segregata, solitaria, & quæ suos fœtus deuorant, reguntur. Huiusmodi autem sunt talpæ, lupi, asini, lepores, vrsi simiæ, cameli, sues, buffones, mures, & vermes, præsertim curguliones dicti. GAVT. An non isti planetæ quorum vires tam commemorasti, vt morbos excitant, ita medicamenta his pellendis conuenientia disponunt? Nisi enim profectò, res ita sese habeat: frustra mihi omnes tum medici, tum pharmacopœi ac chirurgi laborare videntur. Cuius rei gratia, obsecro Caruine, vt quam in morbis planetariis explicandis operam dedisti, eandem in pharmacis simplicibus cõmemorandis subire, non graueris. Quid enim morborum caussas scire iuuat, nisi etiam remedia cognoscantur? CAR. Sapientissima illa, diuinissimáque natura singulis planetis non modo vires excitandi morbos, sed etiam persanandi primitus indidit: simpli


pli

pliciúmq; medicamentorum infinita penè genera creauit, quibus prudenter vsi futuri medici, ſæuientes affectus è corporibus pellerent. Horum autem omnium temperaturæ, gradibus quatuor, ſeu ordinibus diſsitæ: procul dubio à ſeptem commemoratis ſideribus pendent. Quemadmodum enim, Saturnus frigidus inſigniter, morbos ex humore eiuſdem naturæ procreat: ita Hioſchiamum, Mandragoram, Cicutam, Papauer, Solanum, Heleborum nigrum, Opium, aliáque id genus plurima præſidia gignit. Quæ profectò, vt rectè ſentit Hermes, lib. Iatromath. non ſaturnios, ſed martios affectus depellere poſſunt: quod non ſimilia ſimilibus, ſed contraria contrariis curantur, calida ſcilicet frigidis, humida ſiccis, & alia ex ratione pari modo. Iuppiter autem calidus humidus temperatè, vt paucos excitat morbos: ita plurima eáque præſtantiſsima pharmaca generat. Nempe Semperuiuum, quod vulgus) neſcio qua ratione) Barbam Iouis nuncupat, ocimum, bugloſſum, mentam, macis, ſpicam nardi, lignum aloes, ſtyracen, benioin, cariophilos, maſticen, ænulam campanam vtramque, frumentum etiam, hordeum, paſſulas, ſaccharum, mannam, nucem moſcatam, pineas, amigdalas, auellanas, piſtacia, rhabarbarum, radicem pæoniæ, glicirrizam. Præterea, quæ fœlices creduntur arbores, Ioua influente gignuntur: quales ſunt, quercus, vitis, malus, ilex, ſorbus, fagus, pirus, prunus, corillus, fraxinus, ficus alba, (nam nigra ſaturnia eſt) cornus, oliua, eiuſque fructus, & oleum. Mars calidus ſiccus immoderatè, euphorbium, bdellium, allium, cepam, raphanum, napellum, ſcammoneam, & omnia caloris exceſſu venenata, generat. Item, quæ ſpinis munitæ ſunt plantæ, vt cardui, iniubæ, ribes, berberi, ranni, Martiales ſunt. Quæ etiam comeſta lachrimas excitant, vt cepæ, porrum. & alia id genus Marti tribuuntur. Ad hæc ſinapi, vrtica, & quęcunque cuti admota vrunt, ab hoc planeta reguntur. Sol autem, planetarum rex, ſuum in primis heliotropium, deinde pæoniam, gentianam, chelidonium, poligonum, verbenam, dictamnum, laurum, cedrum, hæderam, balſamum, zedoariam, piper, myrrham, mel, calamum aromaticum, crocum, ſuccinum, cinamomum, moſchum, thus, ac poſtremo gummi genus omne producit. Placidum autem veneris aſtrum, ſequentia nempe capillares omnes dictas herbas, valerianam, thimum, ladanum, coral-

lum, ſantalum, coriandrum, omniáque thimiamata, maximè quoque odora. violarum genus omne, fructus ac flores ſuauis odoris, vt roſas, cariphilatas, myrthum, eiúſque fructum, poma, piráque odorifera, mala punica, & id genus alia, moderatur, ac dirigit. Inconſtans verò Mercurius, ſuam Mercurialem procreat, pimpinellam, petroſelinum, maioranam, fumariam, pentaphilon, phlomon, caſiam ligneam, cortices citri, granáque lauri moderatur, Luna poſtremo, papauer album, hiſſopum, roſmarinum, agnum caſtum, viticem dictum, oliuæ folia, caphurámque generat & regit. De prædictorum verò omniū vſu delectu præparatione modo miſcendi conſulendi ſunt medicorum & ſeplaſiariorum libri. Porrò, noſtrum problema quartum, vel hoc potiſsimum nomine diſcutiendum, quòd idearum aſſertor vir ſummus olim habitus eſt. Ideas igitur Platonis ad rerum generationem nihil prorſus conducere, vel hinc ſatis patere arbitror, quod in ipſa entium natura neutiquam ſubſiſtunt: vti Ariſtoteles lib.1 Ethic.cap.6, inuictis rationibus docuit. Quibus ne vnum quidem verbum addere, propoſui. Numeros autem Pythagoricos nullam ex ſeipſis vim in criſibus habere, Galenus lib.2. de diebus decretoriis luculenter oſtendit: quando inquit. Numeri verò ipſi agere nati ſint, an ordinatos motus ſequantur non agentes ipſi: verùm, ſubſtantias quæ in temporis quodam ſpacio agunt comitantes, philoſophis conſiderandum relinquo. Agedum igitur, philoſophicè de his diſputemus, quęque reticuit Galenus, palam faciamus. Numeri ergo, à quibus morborum iudicia pendere, volunt Pythagorici, aut ſubſtantiæ ſunt, aut ab ipſis ſeparati, nec quicquam illarum ope indigentes. Vtrumque autem iſtorum abſurdum. Si enim, ſubſtantitiæ quædam iſti ſunt numeri, quibus de cauſsis Plato, Ariſtoteles, Porphyrius, Boethius, ſummi profectò viri ac philoſophi, eos in quantitatis potius, quàm ſubſtantiæ catigoria diſpoſuerunt: necnon à linea, ſuperficie, ſeu plano corpore vel ſolido, (ſic enim loquitur Euclides) tempore quoque propterea quod communi partium vinculo carerent, ſeparauerunt? Nec enim, ipſa natura vnum, idémque numero, ſubſtantiam & quantitatem ſimul eſſe permittit: quamuis, idipſum quantum quid eſſe nihil vetet. Porrò, quum entis genus omne aut per ſe, aut alterius adminiculo naturæ ſuæ ordinem teneat: ſi Pythagoræ ipſiúſque ſequacium numeri

numeri ſubſtantiæ non ſunt, accidentia profectò recipi, rationi conſentaneum videtur. Nullo igitur pacto, per ſe necnon à ſubſtantiis agentibus ſeparatos conſiſtere poſſe, cõcedendum. Accidentia namque, ſuum eſſe à ſubſtantiis accipiunt. Quam ob cauſſam, rectè ſentit Ariſtoteles cap. 5. lib. catego. ſublatis è medio cunctis primis ſubſtantiis, nullum accidens prorſus relinqui. Cuius etiam ſententiam quotidiana confirmat experientia. Igne quippe extincto, & calor, ſplendor, & leuitas, & raritas ipſius perierunt. Quemadmodum homine iam vita defuncto, ſingulíſque elementis (vt rectè ſentit Hippocrates lib. de nat. huma.) in ſua reuerſis: nec erectam illam corporis figuram, nec colorem, nec membrorum adinuicem ſymmetrias, nec denique, vires vllas quæ viuentis corpus regebant, obſeruare licet. Porrò, quàm vana, quámque ſuperſtitioſa fuerit Pythagoræ, ipſiúſque ſequacium contemplatio: hoc vel potiſſimum nomine eluceſcit, quòd illis vtrumque ſexum (perinde ac ſi animantiũ ritu ſeſe mutuo generarent) tribuerunt. Quum vel ipſis teſtibus, hæc generatio nihil penitus ſit, quàm poſteriorum ex prioribus compoſitio. Vnde etiam, μόναδα, hoc eſt vnitatem velut deum quemdam celebrarunt: quòd ab hac velut prima parente, numeri omnes originem ducant. Dualitatem verò recipere, veriti ſunt: aſſerentes vnitates in ea confundi, neque vllo pacto fieri poſſe, vt ex non numeris nempe duabus vnitatibus, numerus vtpote binarius componatur. Id autem rurſus, quantum impiæ ſuperſtitionis habeat, notum cuiuis arbitror. Nam, ſi in binario confunduntur vnitates, multo magis profectò, in ternario, quinario, ſeptenario, nouenario, cæteríſque imparibus: quos maſculos eſſe volunt. Quanto enim multitudo vnitatũ augebitur, tanto ſanè maior erit earumdem confuſio: propterea quod huic excitandæ aliud nihil multitudine conuenientius excogitari poteſt. Quid, quòd & iſti Pythagorici non modò numeros criſibus, verumetiam fœtibus, eorúmque formationibus præfecerunt? Quaſi verò, aliud reipſa foret: ex dierum numeris menſes 7. 8. aut 9. conſtituere, quàm ex diebus hebdomadas ex quibus rurſus menſes conflare. GAVT. Quo artificio id demonſtrabant? GAR. Erigebant triangulum ſcalenium, cuius videlicet tria latera inæqualia ſunt, & minimo lateri ternarium, medio quaternarium, ma-

ximo & longiſsimo quinarium tribuebant: vt ſequens indicat pictura.



Deinde, inuentis quadratis iſtarum radicum, multiplicatione arithmetica vſi, comperiebant marem & fœminam 7. atque 9. menſe coire, 8. verò minimè. Vnde, iudicabant fœtus 7. ac 9. menſe in lucem æditos, vitales eſſe: contra, 8. menſe natos diutius viuere non poſſe. GAVT. Doce quæſo, multiplicandi modum. CAR. Multiplicabant 4. numerum ſcilicet fœminam, per 5. maſculum: fiebántque 20. Rurſus, ducebant 5. in ſe, efficiebantúrque 25. quibus ſuperioribus additis, conſurgebant 45. Spacium autem areæ ſupra deſcripti ſcaleni, eſt 12. Nam 3. 4. 5. iuncta, hunc numerum componunt. Deinde, dimidium areæ ſcaleni nempe 6. ſumebant, idque in 45. ducebant: & 270. dies prodibant, menſes 9. præciſè conſtituentes. Iterum multiplicabant 4. per 5. fiebántque 20. poſtea 3. in quinq; ducebant, & reſultabant 15. quæ ſuperioribus 20. coniuncta 35. cōſtituunt quem numerum ſi per 6. nempe dimidium areæ ſcaleni duxeris, prodibunt 210. dies, qui menſes 7. exactè reſtituunt. Poſtremò ducebant 3. in 5. & fiebant 15. & 5. in ſe, reſultabántque 25. quæ ſuperioribus 15. addita, 40. conſtituunt: quæ profectò ſi per dimidium areæ ſcaleni nempe 6. duxeris, conſurgent 240. dies ſeu menſes 8. in quibus nullus eſt coitus maris cum fœmina, quod ſcilicet neq; 3. neq; 5. per 4. multiplicentur. Iam habes calculum Pythagoreorum ingenioſum quidem, non tamen tanti momenti,

menti, qui morborum crisibus præesse posit. Neque mihi obiiciant, aut superstitionis fuco prætexante, se numeros abstractos contemplari, eiúsque rei gratia tantas prerogatiuas illis tribuere. Hæc enim abstractio mathematica quum sit, & mente, soláque contemplatione, non autem reuera efficiatur, vt numeris Pythagoræ nihil addere, ita nec tantillum demere potest: propterea quòd imaginandi potentia libera est, nobísque mortalibus ea quæ nec sunt nec fuerunt, imò nec aliquando esse possunt, mentiri fingeréque licet. Quod vbi Galenus philosophorum placita edoctus, altiore mente cogitare cœpit in ipsum Pythagoram tantæ superstitionis autorem acriter inuectus est lib. 3. de die. decret. Omnia siquidem (inquit) quæ de numerorum virtute nugantur, tam facilè absurda esse deprehendimus: vt mihi subinde mirari liceat, Pythagoram illum tam sapientem virum, numeris tantùm tribuisse. Hæc ille. Non igitur à numeris, sed astris, eorúmque tum viribus, tum motibus sapienter à creatore nostro numeratis, decretoriorum dierum ratio petenda. Superest quinti postremíque problematis nostri demõstratio, quē (etsi difficilem admodum) pro ingenij viribus absoluere conabor. Quum itaque, nostra corpora vti iam dicebamus, cœlestibus lationibus subiiciantur: profectò, necessum est naturam, seu facultatem expultricem, quæ sola teste Galeno lib. 1. de dieb. decret. morbos iudicat, eas motuum proportiones quas à cœlestibus corporibus accipit, seruare. Atqui, motus superiorum corporum ordinatus est: quum temere, aut frustra moderator vniuersi faciat nihil. Quare, motiones impetúsque naturę aduersus morbos, ordine quodam procedere necessum est. GAVT. Quid igitur in crisibus tantas varietates efficit? Nam, & prudentissimi quique medici, in harum prædictionibus falluntur nonnunquã. CAR. Rectè iudicas Gautere, verùm, deceptionis caussa non naturæ, sed erroribus ægri, medici horum cœlestium motuum ignari, adsistentium, ceterorúmque genus adscribenda. Natura quippe non impedita, semper ordinate mouetur ad crisim. Et in morbis quidem acutis citius, in longis verò tardius irritatur, atque concitatur. Vbi autem erratum aliquod patratum fuerit, inordinatis motibus insurgit. Porrò, quum nostris temporibus paucissimi ægri, suis medicis debita præstantes obsequia, pauciores item ministri, qui illis absentibus, non omnia temerè, ac

indiscriminatim tentare audeant: fit profectò hæc in crisibus prędicendis deceptio. GAVT. Quo pacto igitur medicum de futura crisi interrogatum præsagire oportet? CAR. Cognito cœli statu, erectáque figura sexdecim laterum morborum crisibus (vt rectè sentit Ptolemæus cent. sent. 60.) destinata, cum Galeno (lib. 1. de dieb. decret.) sentiendum, cuius verba referre neutiquam grauabor. Quapropter (inquit) nos merito quum quispiam de ægro aliquo euentum iubet prædicere, cum distinctione id facimus: dicentes. Hinc morbus soluetur isto die, si victus ratione primùm à nobis, non alio quodam medico regatur. Deinde, si nihil ipse peccet, atque faciat quæ pręcipiuntur omnia. Postremo, si nihil magni erroris extrinsecus commissum fuerit. Nam, ob hæc peccata, quibus non sperantur diebus crises accidunt. Vnde profectò, medicorum principes Hippocrates ac Galenus dies intercidentes, seu intercalares: verè & ordinatè criticis apponere, compulsi sunt. Nunc accepisti docte Forneri, tota quod mente petebas, nempe Hippocratem & Galenum non modò summos medicos: verumetiam astronomos fuisse. Cuius rei gratia, priusquam hinc discedamus, reliquas Gauteri de prædicationum astronomicarum fallacia: fatíque necessitate rationes initiò proposita, (si lubet) dissolue. FORN. Duo sunt (teste Ptolemæo lib. de iudiciis) quibus ad astronomicas prędictiones peruenitur, præcipua sanè, atque maxima. Vnum, quod, & loco, & potestate primum est: quo scilicet solis, lunæ, & stellarum motuum configurationes, cum erga se: tum terram deprehendimus. Alterum, quo de illarum configurationum proprietate naturali, subiectarum rerum mutationes consideramus. Vt autem, prius tanquam certissimum & verissimum, calumniatur nemo, ita profectò, posterius multis calumniis (friuolis tamen) expositum est. Non (me hercle) ex natura corporum cœlestium, nullis alterationibus expositorum: sed imbecillitate, materiæ earum rerum, ad quas proprietates, effectáque siderum peruenire aliquando oportet. Ista namque inferiora, præcipuè verò nostra corpora, continuis mutationibus obnoxia sunt: & ne momento quidem temporis sibi constare possunt. Quas ob caussa, non solùm medici iudicium (vt rectè sensit Hippocrates apho. 1. lib. 1.) sed ipsius quoque astronomi præsagium, difficile admodum existit. Non tamen adeò, quin à prudentibus, laboriosísque hominibus,

bus,

bus, necnon Iatromathematicę studiosis euinci: ac superari possit. Vt enim prudentiores medici Hippocratis atque Galeni vestigiis insistentes, rectè veréque de morbis præsagiunt, ita vigilantes astronomi Ptolemæi doctrina vsi, in prædictionibus errrare nòn consueuerunt. Cuius rei fidem certissimam facere possunt, quæ de fortunis, infortuniisque regum, principum, & heroum virorum scriptis commendata sunt: quarum nonnullas ipsi vidimus (nostro enim seculo euenerunt) alias à maioribus fide dignis exaratas, accepimus. An non Franciscus Franciscanus Meliuiensis monachus, D. Margaretę Flandorum, Brabantorum, &c. rectrici, Francisci Gallicarum regis annum, mensem, & horam captiuitatis verissimè prędixit? Neque alia profectò ratione, nisi quod rex ille potentissimus, & alioqui fortunatissimus, in 4. domo martẽ habebat abiectum, caudã verò draconis in medio cœli. Ille ipse monachus, Renati chalonij Orẽgiæ principis annum vitæ postremum fore 26. multo antè prædixit. Quod ita magno Belgarum luctu accidit. Nam, anno do. 1544. ante fanũ Desiderij, à Gallis globo tormentario ictus, periit, natus præcisè annos 25. menses 6. seu ½. Caroli quoque Borbonij fatum, Cardanus autor non sane postremus, erecta cœli figura posteritati contemplandum reliquit. Istarum autem prædictionum euentus certissimos, ipsi vidimus. De veteribus porrò, & quæ tempora nostra præcesserunt: hoc memoriæ relictum est, Nempe, Theagenem mathematicum adorabundum Augusto Cæsari monarchiam prædixisse. Thrasillus quoque Neroni cruentum imperij exitum vaticinatus est: vt Asclotarion Domitiano. Vnde patet, prædictiones astronomicas per se, suaptéque natura veraces. Quare, si quid in his peccatur, aut prædictoris ignorantia, aut subiectæ materiæ mobilitate continua id accidit. Sunt enim plurimi hac in parte arrogantiores quàm deceat, qui nimirum vix dum iactis tantæ artis fundamentis, mox prognosticari non verentur: dúmque vulgus res aliter, quàm prædixere, euenire cernit: scientiam ex astris futura prædicendi, non modo fallacem iudicat: verum etiam grauiter culpat. Quasi verò, idipsum in ceteris disciplinis (etiam summis) non sæpius vsu venerit. Quidam enim medicorum, pro salutaribus pharmacis venena propinarunt. Nonnulli iurisperiti, causam iniquam defenderunt. Plerique theologi impiè de deo senserunt. Quid igitur, nonne medicinam,

nam, iurisprudentiam, theologiam præclarissimas, & rebus publicis conseruandis maximè necessarias disciplinas: hoc prætextu culpabimus, atque vt fallaces reiicimus? Absit. Noui præterea, quàm verè D. Augerius Ferrerius, doctor medicus Tolosas, summa viro, atque excellentissimo medico, Iulio Scaligero annum fatalem prædixerit: aliáque nonnulla quæ bonus, prudénsque senex ille, sibi tanquam ex tripode euenisse, ingenuè fatebatur. Cuius rei gratia, mi Gautere, si quas prædictiones astronomicas fallaces obseruasti, eas ab indoctis, & temerariis profectas non dubitaueris. Quod autem postremum de fati necessitate obiecisti, altioris eget contemplationis: quoniam plerique omnes fatorum naturas ignorantes, facilè ludificantur. Vnde fit, vt nonnulli ægroti, contemptis medicis, ac medicamentis omnibus, sese diuinis quibusdam curandos superstitiose committant. Quum interim (Ptolemeo teste lib. 1. iudiciorum) siderum astrorúmque scientia nec corpori tuendo, nec animo exhilarãdo alia commodior excogitari possit. Nam, si animi commoda spectemus, quid quæso ad eiusdem vel tranquillitatem, vel gaudium, vel etiam futuram summam illam fœlicitatem, optabilius futurorum prænotionis disciplina? Per hanc enim, & humanorum, & diuinorum contemplatores efficimur. Quippe, quæ nos ad ea dirigat, quæ throno dei sunt proxima. Si verò corporis habetur ratio, quænam est scientia quæ melius, & perfectius: quid illi conducibile sit, docere potest? Nulla profectò. Nisi eas tantum admiramur, extollimúsque disciplinas quæ immensas opes suis cultoribus adferre consueuerunt. Id autem si recipimus, vniuersam Biantis, Solonis, Licurgi, Pythagoræ, ceterorúmque sapientum græciæ fœlicitatem explodimus. Quod ergo initio nostri colloquij Gautere, superuacaneam rerum ineuitabili quodã fato futurarum obiecisti prænotionem, multo aliter sese habere depræhenditur. Nec enim (per Iouem) existimandum, omnia à supernis caussis recta in res humanas deriuari, tanquam inuiolabili & diuido quodam edicto singillatim proposito, vt nulla alia vis obsistere, quin ita illa grassentur, valeat. Ipse quidem cœlestium corporum motus, sempiternus est: necnon diuino inuariabilíque ordine, ac lege procedit. Inferiora verò, mutationibus subiiciuntur, de superioribus quidem ac primis caussis: sed accidit hoc illis per consequentiam legis, & ordinis naturalis, &

varia

variabilis. Hæc Ptolemæus libro primo Iudiciorum. Ex cuius verbis colligere licet, primam caussam absolutè agentem, insuperabilem & omni vi contranitente superiorem existere: suósque effectus generales producere. Quæ verò, non immediatè à prima caussa proficiscuntur, sed interuenientibus secundis excitantur: quales sunt morbi plurimi, ea profectò, huic necessitati minimè subiiciuntur: verùm, contrarias effectiones sortita, tolluntur, sanantur, aut certè multò leuiora efficiuntur. Verbi gratia, demus quempiam pleuritide laborare, quod scilicet Ioue Marti coniuncto plus æquo incaluerit: postea frigidam biberit. Huic si nihil opis adferas, profectò morietur. Deficientibus namque caussis particularibus oppositis, prima caussa semper aget per secundas. Si verò, huic ægro venam è directo lateris dolentis secueris, idoneáque victus rationem institueris: medicamenta preterea cholagoga propinaueris, conualescet: vti quotidiana testatur experientia. Verùm, omissis morbis alia exempla persequamur. Magnes facultate cœlesti trahit ferrum, ídque à prima caussa obtinet. Si verò, ipsum allij succo perfunderis, non magis quàm silex, ferrum amplius traxerit. Idem nec igne, nec ferro frangitur: Hircino autem sanguine illitus: vltro in partes dissilit. Ex quibus patere arbitror, fatum quamquam sit Dei cunctipotentis decretum, bifariam tamen contemplandum. Primùm quidem absolutè, ac simpliciter: pro eo cui nec intelligentiæ, nec stellæ firmamenti, nec planetæ, nec elementa, nec aliquid ex eis contemperatum obsistere potest. Eius naturæ fato Noë temporibus mundus inundauit, & gentes vniuersæ perierunt. Secundum non absolutè, verùm quatenus à caussa quidem prima, sed secundis quibus multa sapienter opponere licet vtente pendet, contemplandum. Verbi gratia, Hyems fato quodam singulis annis recurrit, suísque mortalia corpora frigoribus vrget, atque infestat. Quid igitur, nonne imprudentes, parúmq; cautos dixeris eos, qui tempestiuè ligna comparant: quorum vsu futuræ Hyemis iniurias propellere queant? Minimè, ni fallor. Vt ergo, in vniuersum cum Ptolemæo lib. 1. Iudicio. Dixerim, & saxa, & germina, & animantes, vulnera insuper ipsa, & morbi ceteri, partim necessarias habent effectiones, partim ex eo quod contrariam habent effectionem, dependent. Cuius rei gratia, qui omnia fatali, absolutáque necessitate regi arbitrantur,

tur, toto errant cœlo: vtpote quibus etiam inuitis concedendum, rerum naturæ studiosos astronomiæ beneficio futura tum præuidere, tum prædicere posse: quò scilicet præuisis malis tempestiuè occurratur. Postremò, futurorum euentuum quidam determinatam, miniméque fallacem caussam habent: cuiusmodi sunt ortus, & occasus siderum, coniunctiones planetarum, ecclipses luminarium, aliáque id genus non pauca, in quibus prædicendis nunquam falli potest astronomus. Exempli caussa die 16. mensis Septembris anni 1559. hora 4. pomeridiana m̃. 50. futura est ecclipsis vniuersalis lunæ, cuius dimidia duratio erit 21. m̃. & 51. ½. mora verò in tenebris tempore integræ eiusdẽ defectionis, erit horæ 1. m̃. 33. atque vt in hac, ita ceteris omnibus etiam si post annos mille futuræ sint, præsagiri, prædicique potest. Alij euentus, vt à caussa indeterminata, indefinitáque procedunt, ita certissimè præuideri nequeunt, quales sunt qui à sola hominis voluntate pendent. Hæc enim, in rebus humanis oppositorum vtriusque vim æqualem obtinent. Taceo interea, humanæ voluntatis proposita infinitis modis impediri, & perturbari posse. Porrò, quædam sunt futura horum quasi media, non quidem adeo certa, vt prima, certiora tamen secundis: & hæc partim à voluntate, partim corporum cœlestium influxu proueniunt: necnon coniectura probabili prænosci, ac prædici possunt. de quibus à philosophis, & astrologis satis supérque disputatum est. Quam ob rem, hîc dicendi finem facio, colligens, nulla ratione probabili medicinam ab astrorum scientia separari posse. Cuius rei gratia, quisquis veri medici nomen, laudem, atque decus sibi comparare studet, is (si sibi ceterisque) vtramq; coniungat.

*

Quur

Quur, quibus in morbis, & vnde sanguis mittendus, Dialogus VI.

Personæ.

GAVTERVS, CARVINVS.

GAVTERVS.



SVPERIORIBVS istis diebus, pro tua humanitate sanguinis essentiam, distributionem, missionem, necnon medici hunc missuri prouidentiam, vnà cum Iatromathematicæ, seu medicinæ & astrologiæ coniunctionis necessitate, copiosè admodum edisseruisti. Verùm, nec dum particulares mittendi caussas, morbos, ac postremò vasa, seu venas quibus hunc è corpore ducere oporteat, patefecisti. Cuius rei gratia, dum in hortulo meo soli sumus, & summa aëris tranquillitate fruimur: hunc quæso laborem præcedentibus adiunge. CAR. Faciam lubentissimè, quòd hæc tria mihi principem locum tenere, semper visa sunt. Ignoratis enim caussis, effecta quoque penitus latere arbitror. Nisi quispiam mecum sophisticè agens, eam quæ à posteriori sumitur noticiam, verè scientiam esse contendat. Quam ob rem, à scientificis exordiar. GAVT. Obsecro. CAR. Nemini (vel etiam rustico) ignotum esse credo, vtilem nutriendo corpori sanguinem sollicitè, magna quoque animi præparatione: non modo in vasis retinendum, verumetiam religiose seruandum. Vbi verò, inutilis factus depræhenditur, maxima profectò (vt iam demonstraui) prouidentia mittendus. Fit autem (Galeno teste 9. Methodi) inutilis bifariam: nempe, quum vel propriam qualitatem exactè non seruat, nec amplius nutrire corpus (vt prius solebat) potest: vel ita multitudine, seu quantitate creuit: vt aut vires premat, aut tum venas, tum arterias distendat, vel rumpat, vel obstruat. Quibus verbis princeps ille medicus, duas, easque primas mittendi sanguinis caussas designat, vtpote, quantitatem auctam, & vitiatam eiusdem qualitatem. Vnde maiores nostri (përsertim Galenus lib. de ple. duplicem plenitudinem, vnam scilicet ad vasorum

forum capacitatem, alteram ad vires ſtatuerunt. Prior autem, quę ad vaſa medicis nuncupatur, horum immoderata tenſione deprehenditur: quum nimirum, humores venis & arteriis vnà cum ſanguine contenti, adeò aucti ſunt, vt vel rumpi, vel reſerari conceptacula, neceſſum ſit. Poſterior verò ex grauitate, & laſsitudine totius corporis, maxima ex parte obſeruatur: pręſertim ſi ſpontanea fuerit. Hæc namque, Hippocrate autore, apho.5.lib.2. morbos pręnunciat. GAVT. Quum abundantia inter res non naturales numeretur, déque ipſa plerique (Arabes maximè) non rectè ſenſerint, vti doctiſsimis rationibus doctiſsimus vir demonſtrauit Fuſchius Paradoxo 2. lib.2. Quid ſuper hac cenſes? CAR. Nonnulli Auicennam inconſideratè ſequuti, plenitudinem ad vaſa repletionem in quantitate, quæ verò ad vires in qualitate vocant. Rurſus, in quantitate plenitudinem, plethoram, quæ porrò in qualitate, cacochimiam nuncupant: propterea quòd in hac, humores ſolius qualitatis exceſſu: nempe frigoris, caloris, humiditatis, aut ſiccitatis naturam grauant. In illa verò, aut omnes, aut vnus eorum quantitatis mediocritatem excedit. Verùm hæc diſtinctio quàm ſit friuola, & à doctrina Galeni aliena, paucis docebo: vbi ſcilicet oſtendere repletionis nomen cum plenitudine non conuerti, ſed potius eiuſdem eſſe genus. Hoc autem manifeſtè indicant nomina à maioribus noſtris illis impoſita, Hippocrates enim πλησμονῆν, Galenus verò πλεονεξίαν, non plenitudinem: ſed abundantiam, repletionem, ſatietatem appellant. πλῆθος verò, ſeu πληθώραν plenitudinem dicunt: vt nimirum omnis plenitudo repletio quędam ſit, non tamen contra, omnis repletio plenitudo. Nam, cacochymia repletio quædam eſt, non tamen plethora rectè dici poteſt. Rem autem ſic ſe habere ipſemet Galenus lib.13. method. luculenter oſtendit, cacochymiam definiens, quoties vel flaua bile, vel nigra, vel pituita, vel ſeroſis humoribus refertum eſt corpus. Plethoram verò, quando omnes adeo increuerunt humores, vt iam moleſtiam naturæ adferant: tametſi nihil penitus vetet, inæquali proportione iſta incrementa fieri: Nec multum intereſt, ſi ſolùm ſanguinem auctum plethoricas diſpoſitiones inducere, quiſpiam autoritate Galeni lib.2 de comp. phar. ſecundum locos fultus, dixerit. Nam, purus, & ſincerus in corpore nunquam reperitur ſanguis. Abundantiam igitur, ita diſtinguendam cenſeo: vt

eius primæ species in nuda tum qualitate, tum quantitate consistant. Nudæ qualitatis excessum dico, vbi humor pristinam quantitatem retinens, plus æquo vel incaluit, vel refrigeratus vel tenuatus, vel densatus est. Quantitatis verò, quum nihil præter mediocritatis excessum, naturam diuexat. Porrò, hic interdum cibi, nonnunquam humoris vel vnius, vel omnium simul, existit. Si autem cibi, iam satietas dicitur: eaque aut ad captum ventriculi, aut vires coctricis facultatis in ipso residentis, tantam alimenti copiam cõficere non valentis, consideranda venit. Sin humoris vnius, iam cacochymia dicetur. Vbi autem, omnes plus æquo increuerunt: plethora est, ea quæ aut ad vasa, aut eorum vires. Cuius rei gratia, repletionis in quantitate, seu abundantiæ species primariæ, ac principes, sunt cacochymia, & plenitudo duplex: vna ad vasa, altera ad vires. Nã, vno tantum humore redundante, verbi gratia, bile flaua in Ictetis, cacochymia est. Omnibus verò, æquabiliter auctis, plethora propriè dicta Galeno, lib. de plenitudine. 11. Methodi. 12. Methodi. cunctísque veteribus medicis appellatur. Habes Gautere, omnes tum repletionis seu abundantiæ, tum plenitudinis species. Vnde nullo negocio discere licet, quæ potissimum venæ sectionem desiderant: quæque refugiunt. Plenitudinis enim ad vasa, nullum venæ sectione præstantius remedium excogitari potest. Cuius etiam rei gratia, diuinus Hippocrates Apho. 3. lib. 1. habitus athletarum posteris medicis non ociosè contemplandos reliquit. GAVT. Quum isti habitus summum bonitatis gradum attigerint, sintque optimi & inculpati: quibus quæso de caussis, venæ sectionem desiderant? Nec enim athletæ ægrotant, sed vniuersa naturæ officia strenuè obeunt. CAR. Rectè sentis. Verùm, heus vir bone, prudentis est medici non modo præsentia, sed etiam impendentia, futuráque vitæ incommoda tempestiuè præuidere, illisque sapienter occurrere. Non enim his sanguinem præsentis morbi magnitudine compulsi mittimus, verùm, metu grauiorum malorum, quæ vasorum rupturas comitari consueuerunt perterriti: hoc genus præsidij singularis non abs re seligimus. Qua etiam de caussa Hippocrates Apho. 3. lib. 1. non tantum habitus athletarum qui ad summum bonitatis gradum peruenerunt, periculo non vacare pronunciat, sed caussam quoque adiiciens, inquit: nec enim in eodem permanere, nec quiescere possunt. Quum igitur non quiescant, neque possunt in melius proficere: necessum est pro-

 fectò,

fectò, vt in deterius incidant. Quibus de caussis, bonum habitum statim soluere, expedit. Hæc ille: Ex quibus manifestum esse puto, eum præcipuè de solutione per venæ sectionem facta, verba fecisse. Siquidem, qui optimè valent, viribúsque integris pollent, quales sunt athletæ, hi purgante medicamento non egent, & venæ sectionem strennuè perferunt. GAVT. Quid incommodi rupto vase, aut tali habitu permanente, humanum corpus experiri potest? CAR. Audi Hippocratem Apho. 3. lib. 1. tibi respondentem, qui non modo bonum illum habitum statim soluendum rectè præcipit, verùm, subitæ ac celeratæ illius solutionis caussam proponit, dicens, vt corpus rursus nutriri incipiat. Quum enim sanguis totum corpus nutriat, repletis supra modum vasis, atque distentis, nullum spacium relinquitur, vbi adueniens alimentum recipi queat. Quare, necessum est quicquid horum cauitate retinetur, nihil prorsus ventillari, necnõ hac vna ratione natiuum calorem suffocari: Haud aliter sanè, quàm si magnam viridium lignorum copiam igni modico admoueris. Quanta verò, vasorum rupturas detrimenta comitentur, iam edisseram. Nam, hæc nimio sanguine distenta, in pulmonibus vnitatis solutionem interdum patiuntur, vnde tandem phtisis, quoniam (teste Hippocrate Apho. 15. & 16. lib. 7.) A sanguinis sputo puris sputum à quo phtisis, & fluxus: si autem sputum retinetur, moriuntur. Neque minus periculum si in ventriculo vas aliquod rumpi contingat, accidere solet. Quippe, ex Hippocratis doctrina (Apho. 75. lib. 7.) scimus, à sanguinis vomitu tabem generari. Porrò, si in hepate vas aliquod supra modum distensum, continui solutionem patitur: fluxus sanguinis hepaticus superueniet, atque tandem plus æquo refrigerato viscere, Hidropes gignentur letales, Nunc habes quæ vasorum rupturas sequuntur incommoda, vnà cum præcipuis, immediatisque mittendi sanguinis causis, non tamen instituto nostro per se facere satis valentibus. GAVT. Ceteras adnecte, si lubet, quo totus de causis mittendi huius succi sermo absolutus, perfectúsque euadat. CAR. Sanitatis custodia, scopus vltimúsque finis est rationalis medici, ad hanc enim veluti natura priorem, & digniorem omnia consilia sua dirigit. Verùm, huius gratia particulares sanguinis vacuandi caussas contemplari, cogitur: Hunc enim, aliquando solius vacuationis gratia, vt in dictis athletarum habitibus, & febribus fere omnibus, demptis hecticis consummatis, in quibus Hippocratica

facies

facies apparet, mittunt medici. Nonnunquam reuulsionis duntaxat caussa venã secari iubent, vt in hæmorrhagia largiore: quæ scilicet, nec adstringentibus, nec refrigerantibus remediis, capiti, collo, fronti, ori, naribus, temporibus, lumbis deniq; admotis, cedit. In qua etiam, Gale. 9. meth. humeralẽ eiusdem lateris secabat, quo nimirum expultricis facultatis impetus aliò diuerteretur. Postremò, vtriusque istorum nempe vacuationis, & remissionis simul caussa, interdum mittitur sanguis: vt in pleuritide, cynanche, & id genus non paucis, de quibus posterius agam. GAVT. Nonnulli, reuulsionem fluente duntaxat sanguine moliendam censent: tu verò quid hac in re sentis? CAR. Rectè quidem eos facere, si vnicus fuerit naturæ impetus: sin plures, frequentésque accidant, nihil vetat ante reuellere, quàm noua fluxio irruat. Cuius rei testis locupletissimus est mihi Galen. 9. meth. qui largis in hęmorrhagiis, cucurbitulas maximas pręcordiis, vtpote iecori, aut lieni, adfigebat: verùm è directo semper. GAVT. Quando in cucurbitularum sermonem incidimus, quo consilio maiores his vti primùm cœperint, expone. CAR. Audi Galenum ipsum lib. de hirud. Effecta cucurbitularum hæc sunt: Materiam vacuant, dolorem sedant, phlegmonas minuunt, inflationem discutiunt, appetitum reuocant, infirmo ventriculo robur pristinum reparant, animi deliquio liberant, fluxiones ex alto transferunt, reficcant, sanguinis eruptiones cohibent, facultates mensium corruptrices extrahunt, & menses leuant. Hæc ille quidem, sed multa cautione in vsum ducenda scripsit. Nam, si harum vsu reuellere materias, atque in partem oppositam trahere studemus, partibus dextris laborantibus, sinistris affigendæ, & contra. Rursus, anterioribus malè affectis, posterioribus & supernis vexatis, infernis, nunc cum scarificatu, nunc absque hoc admouendæ. GAVT. Quænam huius varij vsus ratio? CAR. Si in parte afflicta, flatuosum tantùm spiritum contineri coniectamus aut scimus, sine scarificatu: sin humorem noxium subesse veremur, cum hoc admoueantur. Hactenus de cucurbitulis, earúmque vsu recto dicta sufficiant. Nunc ad institutum reuersi, sanguinis mittendi primam caussam in eiusdem quantitate immodica, seu plenitudine ad vasa consistere adstringimus: quamquam ipso non redundante vti Galeno 4. meth. rectè visum est, interdum saluberrimè vena secetur. Nam, si vehemens morbus est, cum virium robore (inquit) nemo est qui sanguinem non mittat: qui

vtique in operibus artis exercitatus sit. Paulo autem post, adhuc clariùs his de rebus agens ita scriptum reliquit. Sanguinis missio duabus de caussis præcipuè fit, vel propter ipsius redundantiam, vel ob morbi magnitudinem, purgatio verò, vel propter alterius humoris abundantiam, vel ob morbi magnitudinem: quæ tamen non solùm ob id fit, vt vitiosus succus educatur foras, sed etiam vt aliò trahatur, deinde vacuetur. Quum ergo, vt rectè sentit Mesues, theore 1. nullum sit medicamentum hæmagogum, abundante in vasis sanguine, non ad purgans pharmacum, sed venæ sectionem vt tutissimum remedium, confugiendum in primis censeo. GAVT. Si æger etiam plethoricus, aut athleta, venę sectionem prorsus abhorret: quid opus est facto? An non medicina singulari quodã creatoris fauore nobis mortalibus donata: hinc (etiam non misso sanguine) opem aliquam ferre valebit? CAR. Maximè. GAVT. Quid ergo venæ sectione opus est? CAR. Non omnia corpora eodem temperamento prędita sunt, sed quatuor illa simplicia, quæ mundi inferioris elementa vocantur, infinitis, nullóque sermone comprehensis modis, commiscentur. Quare, qui cute rara, facilè transpirabili, molli, atque glabra prędіti sunt, carne quoque laxa, & tenella multúmque diffluente: his pro missione sanguinis, aut inedia, aut consueti cibi parcior vsus, aut aluus soluta, aut purgatio (non me hercle sanguinis, sed ceterorum humorum huic necessitate quadam naturali commistorum) aut balneum frequens, aut exercitatio tonica, aut sanè frictio multa, ad vitanda plethoricæ dispositionis incommoda, facere satis possunt. Verùm, in contrariis naturis quid pręter venæ sectionem viribus adhuc integris moliri possis, non video. Adde si lubet, quòd ista omnia, præsertim inedia, aut consueti cibi parcior vsus: multi temporis laborem desiderant, quem profectò, quasi momento & tutiùs, & iucundiùs, nulláque molestia perpessa, secta vena vitare licebat. Hæ igitur mittendi sanguinis caussæ sunt, non nudè ac simpliciter, sed suis circunstantiis (de quibus dialogo quarto illustratæ, medico rationali magna sanè animi præparatione contemplandæ. Nunc ad morbos suo quasi iure sanguinis missionem deposcentes, stilum sermonémque conuerto: vnà cum his dicturus de vasis, quibus hunc succum educi meliùs est. GAVT. Infinitis propemodum morborum generibus mortalia hęc nostra corpora indies afflictari cernimus. CAR. Fateor. GAVT. Quo ergo artificio istam infinitatem

tatem(ſic enim noſter orator loquitur)limitare poteris? CAR. Methodo reſolutoria. Nam,omnes morbi aut magni,aut parui, aut certè horum medij ſunt. Omiſsis igitur paruis ac mediis, tanquam venæ ſectæ pręſidio nihil aut parum egentibus, magnos bifariam ſecemus. Quidam enim corpus vniuerſum, alij verò partes ipſius principes nempe cerebrum, cor,& hepar duntaxat diſcruciant. Verùm,quia cerebro ſpinæ medulla,cordi pulmones,hepati ventriculus ſeruit, harum quoque partium affectus interdum venæ ſectionis conſilium inire medicum rationalem cogunt. Agedum igitur,prius de vniuerſalibus,cuiuſmodi ſunt febres:deinde particularibus ordine cõuenienti agamus. GAVT. Hæc methodus mihi conuenientiſsima videtur. Cuius rei gratia illam obſecro perſequere. CAR. Febris, teſte Gale. Commento.aph.16.lib.1.eſt conuerſio caloris natiui ad igneam ſubſtantiam: aut (ſi mauis) calor eſt immodicus totius corporis actionem inſigniter lædens. Nulla ſiquidem corporis particula impetu febrili inoffenſa manet. Nulla quoque facultas cuius actio non lædatur. Quippe, febricitantium nonnulli delirant, aliique corpus quidem mouere poſſunt,quibuſdam pulſus adeò celeres, & frequentes euadunt: vt interdum plus æquo accenſo corde,inſitus calor exhalet:reliqui cibos omnes faſtidiũt,& quæ offeruntur vniuerſa,amara iudicant. Accedit,quod magni morbi venæ ſectionem deſiderantes, aut à febre incipiunt: aut tandem in eam deſinunt. Quibus de cauſsis, febrium contemplatio iure optimo primum locum tenet. Sunt igitur,tot febrium quot ſubſtantiarum noſtrarum diſcrimina:nempe tria. GAVT. Quęnam hæ ſubſtantiæ quæſo? CAR. Spirituoſæ,humidæ,ſolidæ, quarũ primas Hippo.6.Epidem.impetuoſas,ſecundas contentas, tertias & poſtremas continentes vocat. Primis igitur ſupra modum calfactis,febres excitantur,quas diarias,quòd ſuapte natura diem naturalem non excedunt: ſed 24. horis plenè ſoluuntur, medicorum principes dicere conſueuerunt. GAVT. Eſt ne ſanguis ob has mittẽdus? CAR. Diſtinctione opus eſt. Nam,ſi nullum tranſitus periculum ſubeſt, ſolis refrigerantibus & humectantibus præſidiis capiti,thoraci, atque hipochondrio dextro admotis,ſoluentur. Vbi verò tranſitus timetur, commoda valde (teſte Gale.8.meth.)fuerit ſanguinis miſsio,demptis ab hoc ſermone pueris,ac ſenibus. GAVT. Quibus notis coniectari licet diarias in putres tranſituras? CAR. Ex ſtatu earumdem. Nam ſi tum calor eſt mitis & blandus,pulſus quoq; naturalibus ſimi-

les,nempe mediocres, omnisq́; inquietudo ,aut perturbatio abest,procul dubio eodem die perfectiſsimè finiētur. Si verò hiſce contraria,nimirum calor acris,& vehemens,pulſus celeres , ac frequentes , inquietudo corporis , mentis perturbatio, aut ipſa quoque inſomnia aderit,audēter eiuſmodi febres diarias in putres tranſituras iudica:& naſcenti morbo necnon incipienti febri putridæ , exemplo Galeni , vena ſecta tempeſtiuè occurre. GAVT. Quo modo accenſis ſpiritibus humores putredinis vitium captent,clariùs obſecro doce.Id enim mihi arduum admodum eſſe videtur. CAR. Similitudine quadam iſtud intelliges. Quemadmodum igitur , in laconico aër primus dein aqua, poſtremò parietes ipſi incaleſcunt: Ita ſpiritus aut æſtu,aut ira, aut alia quadam cauſſa accenſi:ſanguinem ceteris humoribus com miſtum primum calfaciunt,putredinisq́ue occaſionem ei miniſtrant. .Cuius rei gratia,qui accenſis ſpiritibus ſuſpectam. Diariam efficientibus ſanguinem vacuant,non minus prudēter mihi facere videntur:quàm qui ardēte proximo pariete ſuis rebus conſeruandis animum intendunt.Quum igitur in hoc febrium genere tranſitum minante,ſanguinem mittendum ſentiat Gal. 8.meth.quid quæſo de putribus vniuerſis iudicandum tibi videtur? GAVT.Scopis omnibus conſentientibus internam gibberi dextri venam,quam baſilicam vocant ſecandā,necnon pro menſura viriū ægrotantis mittendum ſanguinē,qui velut ſpirituum parens primam putredinis noxam percipit : poſt quem pituita, bilis tum flaua,tum atra. GAR. Rectè tu quidem,modo totum aliquem humorem per febres putrere(hoc enim fieri nequit)tibi non perſuadeas. Quinimo , ſanguinem putrentem non amplius(vt rectè ſentit menſues Theore.1.) antiquum nomen retinere : ſed parte craſsiore in atram : tenuiore verò in flauam bilem conuerti arbitreris. Alioqui,non tria duntaxat,ſed quatuor putrium febrium genera contra doctrinam Gale.lib.2.de diffe. febr.recipienda : quarum commune remedium,eodem teſte,eſt venæ ſectio,quę tametſi febrem perſe non ſanet(oporteret enim febricitantes omnes miſſo ſanguine mox reualeſcere) per accidens tamen , vtpote corpus refrigerando , alui deiectiones mouendo , vomitum ac ſudores excitando , eam non raro iugulat. Vnde Gale. 11. meth. ſaluberrimum (inquit) in febribus venam incidere , non modo continuis verumetiam aliis omnibus quas putreſcens humor accendit,& concitat: vbi præſertim nec vires nec ætas prohibet.Leuata namq; corpus regente natura,exonerata

rata

ratâque eo quo velut sarcina præmebatur: haud ægrè quod reliquum est, vincet. Itaq; proprij muneris haud oblita, quod coqui habile est, concoquet, necnon quod excerni potest, foras propellet. Eorum enim quæ in medio sunt corpore (hepatis inquam, lienis ac ventriculi) prouidentia, vbi sanguis detractus non est, maximũ planè est malum. Vbi verò detractus est, cõtra. GAVT. In omni febrium putridarum genere tuto sanguinem mitti, ingenuè concedo. Verùm, si parentes, atq; consanguinei hanc non probant: aut æger ipse prorsus abhorret, quid agas? CAR. Superius docui eos qui plethora sine febre laborant, vigiliis, inedia, victu tenui & attenuante, medicamentis aluum soluentibus, exercitiis validis quæ tonica dicuntur, impendentes morbos citra venæ sectionem præcauere posse, modo natura seu temperamentum ad id plurimũ conferat. Verùm, si plenitudo cũ febre adest, atque æger, parentes, ac vniuersi consanguinei, venæ sectionem abhorrẽt, tum demum ad frigidæ potionem scopis à maioribus nostris mira prudentia, multâque experientia obseruatis recurrendum, censeo. GAVT. Quot, & quinã sunt isti? CAR. Primus, ac præstantissimus in vrinis, sputis, seu expuitionibus, atque imi ventris deiectionibus consistit. GAVT. Qua de re? CAR. Quia in his signa coctionis, aut cruditatis humorum febrem excitantium maximè obseruanda sunt. Quis enim adeò temerarius medicus fuerit, qui nondum coctis humoribus frigidam propinauerit? Hæc enim & coctionem, & febrem prorogabit. Coctis autẽ his tutò dari potest. Quam ob rem, principio & augmento morbi hanc ne dederis. In statu verò, aut paulo ante apparentibus coctionis notis, intrepidè offeras. Atque si febris est ardentissima, quantum æger ipse postulabit. Hoc enim consilio Gale. 9. meth. vtebatur. Secundus prudentis hac in re medici scopus est, inspicere si tumor aliquis viscera occupauerit, dico autẽ viscera Iecur, ventriculum, atque lienem. Nam si tumorem illic deprehenderis, vsu frigidæ obstineto: alioqui obstructionẽ augebis, febrem exasperabis, conuulsiones, rigores, distentionésque neruorum, si Hippoc. aph. 17. 18. 22. lib. 5. fides habetur, accerses. Tertius porrò scopus partes ad ventriculum attinentes considerari iubet, si nimirum carnosæ sunt necne. GAVT. Quibus signis deprehendere istud licebit? CAR. Qui per sanitatẽ externas partes carnosas habent, tales quoque internas habere consentaneum rationi videtur. Cuius rei gratia, græcilibus & extenuatis frigida danda non est: quòd tales habitus ab ea promptissimè læduntur.

Quartus ſcopus ægri conſuetudinem animaduerti iubet, eam ſcilicet, dum ſanitate frueretur aliquando frigidam innoxiè biberit. Nam, in rebus fere omnibus conſuetudo plurimum poteſt. Qua etiam de cauſſa, Hippocrates Aph. 50. lib. 2. Quæ ex longo tempore (inquit) conſueta ſunt, etiam ſi ſint deteriora: minus moleſtare ſolent. Paulo verò ante. Quicunque conſueti ſolitos labores ferre, etiam ſi imbecilles fuerint, aut ſenes, non conſuetis iuuenibus ac fortibus faciliùs ferunt. Apho. quoque 17. lib. 1. ſapiens ille ſenex ætati, tempori, atque conſuetudini aliquid coucedendum, rectiſsimè adhortatur. Poſtremus ſcopus, morbi ſtatum religioſe obſeruandum docet, quod nimirum tunc humores cocti ſunt. Cuius rei gratia, frigidam tutò dari ratio ipſa probat. GAVT. Frigidarum quædam puteales, aliæ fontanæ, reliquæ pluuiæ ſunt (alias enim, vt ſtagnales, aut lacubus aſsiduè reſidentes, medicis hos in vſus reuocare prohibetur.) Quam igitur ceteris præferendam iudicas? CAR. Fontanam mediocri tractu fluxam. GAVT. Qur ita. CAR. Quoniam in fluxu ſordes omnes depoſuit ſalubriórque euaſit: quàm vbi primum ſcaturiebat. Pręterea, notas omnes optimas viſu, ac guſtu perceptibiles, de quibus Galenus Comment. aph. 26. lib. 4. doctiſsimè tractauit, poſsidet. GAVT. Eſtne hæc coquenda? CAR. Parum coctam cum Galeno 9. Metho. probo, quòd ſcilicet hac ratione tum frigidior, ſum ſalubrior, tum leuior priuſquam propinetur effici poſsit. Si verò illam multum, diúque coxeris, penitus damno: quoniam vi caloris tota ipſius hac in re deſiderata ſubſtantia exhalat, ſoláque terreſtris, & velut limoſa relinquitur, vt guſtus etiam (quamuis percolata) ipſe iudicat. Cuius rei gratia, vt huic de febribus propoſito ſermoni finem imponam. Quicunque febribus putribus, continentibus, aut continuis, aut interpollatis, ſimplicibus, vel complexis, quales ſunt hæmitrithei, lippiriæ, expialæ, & id genus aliæ non paucæ, correpti ſunt, his baſilicæ dictæ venæ ſectio (ceteris ſcopis conſentientibus) tempeſtiuæ, plurimum prodeſt. Nec minus peſtilentibus, & ardentibus prodeſſe credendum. Verùm, de his fuſiùs agere alterius eſt negocij. GAVT. Continentes & continuæ febres eundem typum præ ſe ferre videntur. Quo pacto igitur illas ſeparas? CAR. Omnibus humoribns æquabiliter putrentibus in vaſis, continens dicta gignitur: ab intio ad finem vnicam faciens acceſsionem ſine vlla notabili imitatione. Continua verò, vel vnico

eo intra vasa putrescente succo accenditur, quæ etiam tametsi ad infebricitationem non desinat, in singulis tamen accessionibus remissionem habet. GAVT. Humoribus extra vasa putrentibus quid vena secta opus est. CAR. Qui extra vasa putrent, è vasis defluxerunt: quare secta vena effluere desinent. Præterea, dum medici in vasis, vel extra vasa succos interdum putrere affirmant: eáque ratione continuas ab intermittentibus separant, non absolutè de omnibus: sed magnis duntaxat) quæ teste Gale. 10. meth. inter inguina & alas continẽtur) intelligi volunt. Nam si humores in venis putrent, procul à corde: non continuas, sed intermittentes excitabunt. Contra verò, si in paruis cordi proximis, continuas accendent: quod febribus in cunctis maxima cordis ratio habenda sit. Nisi enim calor ille immodicus ad ipsum peruenerit, nondum febris genita est. GAVT. Si febrium omnium præstantissimum remediũ est venæ sectio, quare misso sanguine exhibetur purgatio? CAR. Si sanguis sola quantitate naturam opprimeret, eius profectò vacuatio abundè sufficeret. Verùm, quum duplex vitium, vnum quantitatis, alterum qualitatis eam discruciat: duplici quoque præsidio opus est. Si enim neglecta venę sectione purgans medicamentum propinaueris, insigniter nocebis. Primùm quod vasis adhuc sanguine repletis nequibit medicamentum in corpus differri, impediente scilicet plenitudine vasorum. Vnde necessum est illud substare: nihilque efficere, aut si quicquam facit, malè facere. Quum autem misso prius sanguine corpus vtcunque vacuatum fuerit, purgans medicamentum exhibitum venas, & arterias, & insuper inanes corporis regiones non oppletas inuenit: quo fit vt absque vllo impedimento in totum corpus trahendorũ succorum gratia dimanet, facilliméque fiat eorum vacuatio per vasorum (vt rectè sentit Gale. lib. de affect. renum dign.) spacia & fusionem, tenuitatémque succorum. Vtrumque verò, nempe venam secare, & purgare simul, doctor Pergamenus non probat: sed potiùs detracto sanguine rem omnem virtuti quæ nos pulchrè gubernat, & medicamentis auxiliatur committendam censet. Itaque aliquantum temporis post venam sectam illi concedendum: vt corroborata natura purgatiuis medicamentis ceu instrumentis vsa, maturè quod decẽs est, perficere valeat. Adde, quòd multum vitalis spiritus vnà cum sanguine excernitur. Qua de re hoc misso priusquam purgans medicamentum exhibeatur munienda roborandáque virtus quæ sola morbos profligat. Iam habes

Gautere, quàm sit saluberrimum febribus in cunctis putredine accensis, venæ sectionis præsidium consentaneis scopis prædictis, quos etsi posthac in explicandis morbis sanguinis missionem desiderantibus non repetemus, à studioso tamen lectore supponi volumus. GAVT. Quinam sunt isti morbi de quibus te deinceps dicturum polliceris? CAR. Qui quatuor partes maximas in quas anatomici corpus primaria diuisione secant, grauissimè afficiunt. GAVT. Agedum igitur. CAR. Cerebrum sedes animæ præcipua, ac prima, vbi (tanquam arce dignissima) præsidens animalis illa facultas, sensum motúmq; infernis partibus communicat, plurimos quidem morbos: verùm vnum eumque acutissimum, nonnunquam patitur: vtpote phrenitidem, ex eius membranarum seu meningũ inflammatione profectum. Cuius etiam rei gratia, vehementissima symptomata illi succedere necessum est. Nam, per hunc affectum sola interdum imaginatio læditur. Nonnunquam ratiocinatio, & memorandi facultas, aut seorsim, aut simul offenduntur: propterea quod memorandi vis, imaginationi ac rationi iure naturæ seruit. Hæc autem ita sese habere, primum autoritate Galeni lib. 2. de sympt. caussis. ca. 4. lib. 4. loco. affect. lib. 2. belli Peloponnes. Deinde Tuchididis, confirmare possumus. Hic enim historicus neutiquam spernendus, verùm in primis habendus: quodam loco tempore pestis sæuissimæ in phrenitidem adeò furentem incidisse quosdam scribit, vt sanitati pristinæque valetudini restituti, nec familiares, nec seipsos agnoscerent. Hæc autem passio, aut à bile flaua partem istam principem infestãte, aut à sanguine supercalfacto discrutiente, nascitur. Si ergo à bile meninges occupante, feroces motus, furiosæque vociferationes excitãtur: adeò vt sine vinculis ægri vix coerceri queant. Cuius rei testis veracissimus mihi esse potest d. Geruasius Maquinonus, qui mecum artificem stannarium tractans, eum hebdomadæ dies ordine vociferantem audiuit. Alium verò, reges, principes, ac pontifices, ad Dei iudicium prouocantem non sine admiratione inspexit. Vbi autem hæc passio supercalfacto sanguine nascitur, ægri ridentes insaniunt, & ministros suos ad risum (etiam inuitos) compellunt. Quum ergo tam horridum malum nunquam sine febre inuadat, duplici profecto nomine illi vena secta opus est. GAVT. Sed quænam vena incidenda, & vbi? CAR. Cubiti exterior, quam humeralem, dialogo secundo, vocari medicis diximus. Hæc enim à vena caua in iugulares diuisa originem du-

cens,

cens, & vtrimque extra thoracem aſcendens, per humeros in brachia excurrit. Practici noſtro tempore cęphalicam rectè vocant. Hac verò non ſatis eminente (vt plerunq; fit) tutius eſt mediam, ſeu communem dictam venam, quàm axillarem, aut babaſilicam incidi. Verùm, ſemper hoc vnum altiore mente cogitandum, ac diligentiſsimè obſeruandum: vt nimirum dextri potius quàm ſiniſtri brachij ratio habeatur. GAVT. Quam ob rem? CAR. Quoniam bilis illa flaua, aut ſanè ſupercalfactus cruor cerebrum occupans, phrenitidémque generans: haud dubiè ab hepate primum tranſmittuntur, ſurſúmq; feruntur. Pręterea, breuior eſt via ab humerali, quàm axillari in cerebrum. Qua de re, commodior vacuatio, ſi naturæ conſilia ſequimur. Hęc enim & breuiores, & tutiores ductus ſemper eligit. Verùm mi Gautere, hîc ſumma prudentia opus eſt. Quum enim phrenitis morbus ſit calidiſsimus, plurima ſanè per illam ſpirituum fit reſolutio. Qua vel vna de cauſſa, non ad lypothimiam (quæ tamen alioqui non eſſet fugienda) ſed vires ægrotantis ſanguis vacuendus erit. Inſuper cauendum, ne phreneticus clam brachij deligaturam diſſoluat, aut adimat. Mors enim repentina hanc comitari ſolet. Sunt etiam qui rectam in fronte venam ſecare, in hoc affectu neutiquam formidant: propterea quod hoc mali genere furente, in tumorem notabilem attollitur. Quibus nec equidem reclamandum cenſeo, quemadmodum neque his qui venæ ſectionis occaſione deſtituti: alia præſidia quærunt, de quibus ne vnum quidem verbũ in præſentiarũ dicere inſtitui. Alterius enim ſunt cõtemplationis. GAVT. De vertigine quid ſentis? Eſtne ob hanc ſanguis mittendus? CAR. Iſta quum à craſſis & lentis humoribus cerebrum occupantibus (vnde vaporoſi ſpiritus à calore imbecillo reſoluti, per ipſius ſubſtantiam inordinatè feruntur, atque mouentur) originem ducat, certè, aut nulla, aut pauca ſanguinis per humeralẽ miſsione indiget. Nam ſi à leuiſsimis cauſsis externis vtpote præcipitiorum intuitu, aque girorum ſeu verticum inſpectu, aut rotarum reuolutione attentis luminibus circunſpecta, mox cadunt: quid largiore miſſo ſanguine illis euenturum ſperas? Quamobrem, multis interuallis ſanguinem priuſquam iuſta menſura expleri poſsit, mittendum cenſeo. Adde, quod Galenus cap. 19. lib. de cura. rat. per ſang. miſſ. vertiginoſis & comitialibus ſecta poplitis vena mederi conabatur. Vnde coniectari licet, eum miſsionem ſanguinis per humeralem venam in ſcotomate parum admodum

pro

probaſſe. GAVT. De veterno ſeu lethargo quid ſtatuendum? CAR. Galenus 13.meth.in hoc affectu ſtatim, & mox ab initio (modo nihil obſtiterit)ſanguinem mitti iubet. GAVT. Quum veternus in frigidis morbis numeretur quo conſilio Galen. lib. de venæ ſect. aduer. Eraſiſtrat. venæ ſectione iuuari poſſe contendit: quum alibi ſcribat in frigidis affectibus neminem vnquam ſanguinem mittere auſum fuiſſe, quòd in talibus ex calidi ſucci nempe ſanguinis vacuatione, adhuc multo magis corpus refrigeratur: innatus calor qui per affectum antea quoque refrigeratus erat, extinguitur. CAR. Nunquam ceſſas me paradoxis quibuſdam ſollicitare? Scripſit quidem quod modò propoſuiſti Galen. lib.de venæ ſect.aduer. Eriſtra. Verùm, & Hippocrates ipſe, contraria interdum facere compulſi ſunt. Hippocrates quidem, in famula Margei iam ob oris vteri in coxam mox à partu contorſionem morti proxima, necnon tremula. Galenus verò, in ſpaſmo, hydrope ceteriſque id genus frigidis affectibus: ſed mira prius vſi prudentia, circumſpectiſque omnibus quæ præceſſerant: quæque aderant, necnon futura timebantur ſymptomatibus. Conſiderabat enim Hippocrates, famulam Margei priuſquam in vteri contorſionem incidiſſet, multitudine ſanguinis vtero contenti grauatam: nec à ſecundis bellè purgatam fuiſſe, cuius rei gratia, non temerè ad venę ſectionis præſidium confugiendum putauit. Galenus autem lib. de ve. ſect. aduer. Eraſiſt. hydropicos, atque conuulſos ſecta quidem vena mortis periculo vindicauit. Non me hercle, ratione primaria ipſius affectus, ſed cynanches, ſeu ſynanches aut alterius cuiuſdam ſuperuenientis gratia, vt peripneumoniæ habita id præſidij in morbis frigidioribus tentauit. GAVT. Quam venam Hippocrates ſeruæ Margei incidit? CAR. Malleoli quo nimirum deorſum fluente ſanguine collum vteri contortum priſtinas ſedes occuparet: eáque ratione ſecundæ purgarentur. GAVT. Gale.quam conuulſis, aut hydropicis ſecabat? CAR. Conuulſis cæphalicam, ſeu externam cubiti venam: hydropicis verò, baſilicam dextri lateris. Nam hepatis vitio hydrops omnis procedi, ſi modò Galeni cap.6.lib.5.loco.affect.doctrinam non refugimus Præterea, conuulſio nunc à repletione, nunc inanitione, nũc ſumpto helleboro, aut accepto vulnere, aut à medicamẽti potione, teſte Hippo. aph.1.& 2.lib.5.aph.39.lib.6.aph. 25.7.proficiſcitur. Quibus de cauſsis variis, mittendi quoque ſanguinis conſilium mutari conſentaneum rationi eſſe videtur;

Si namque à frigore immoderato, inanitione, vulnere, aut medicamenti potione originem conuulsio cepit, quis obsecro, huius pellendæ caussa sanguinis missionem probauerit vnquam? Contra, si ab inflammatione aut repletione excitetur, nemo est (meo quidem iudicio) rationalium medicorum qui tum humectare tum refrigerare corpus non conetur. Hæc autem duo commoda vna venæ sectio affatim suppeditare potest. Itaque nec conuulsionibus, nec aliis capitis morbis frigidioribus, vt lethargo, caro (subet vocant) catocha, catalepsi, comate duplici, apoplexia forti, paralisi, epilepsia puerorum (in adultis enim hoc mali genere pressis Galenus lib. de curan. rat. per san. venam potius poplitis quàm malleoli incidebat) incubo à plenitudine corporis non profecto, tremore, abolita memoria, & id genus aliis, sanguis tuto mitti potest. Habitus enim corporum per tales morbos plus æquo refrigerantur. Quamobrem, aucto rursus per venæ sectionem frigore: periculum est non mediocre, ne extincto calore natiuo, mors irruat. Si verò eiusmodi affectibus symptomata superueniunt, quorum rationem præcipuam medicum habere oporteat: vtpote à quibus plus quàm à morbo ipso periculi immineat, tum ad tempus neglecto morbo, generosus medicus aduersus hæc pugnabit: necnon si venæ sectione opus est, ea moderatè vtetur, quantum scilicet vires ferunt sanguinis mittendo. Quod quidem, medicorum principes in morbis frigidis fecisse pro comperto habemus. Sed iam ad alias huius partis principis affectiones methodo con sueta vsi sermonis nostri familiaris rationem dirigamus, & de mania, insania, ac furore, serio agamus. Quidam enim his laborantium assiduè rident, puerilibúsque iocis gaudent. Alij ferarum more insanientes, feroces, immites, iracundi, nihil penitus non audentes quotidie cernuntur. GAVT. Estne hîc venæ sectioni locus? CAR. Quæ commemoraui omnia, sanguinis missionem eámque copiosam admodum iudicant. Nam si cum risu desipiunt, cerebrum aut sanguinis boni copia, aut eiusdem quoque supercalfacti ardore agitari testantur. Vbi verò cum studio ferarum crudelitatem referunt, à bile flaua mordente: necnon cum cerebrum ipsum, tum ipsius inuolucra stimulante furor excitatur. Quibus sanè de caussis, nullum secta vena præstantius remedium excogitari potest. Nam, & copia sanguinis per hanc minuitur, & ardor bilis flauæ (etiam superassatæ) extinguitur, aut maxima ex parte remittitur. GAVT.

Quæ

Quæ vena incidenda? CAR. Externa cubiti, aut hac ſatis non apparente, media. GAVT. Mulieres, quamuis frigidiores viris, hoc affectu ſæuiſsimò nonnunquam corripiuntur. Hiſne igitur eadem vena ſecanda? CAR. Neutiquam, ſed multo conſultius eſt, quæ ſunt ad malleolos incidere, ſic enim & menſtrua prouocantur, nec amplius ſanguis ad mammas colligitur: hac enim ratione (teſte Hippocrate Apho. 40. lib. 5.) inſaniunt. Huic paſsioni proxima eſt melancholia morbus, ab humore ſeu mauis melancholico ſanguine nunc in toto corpore, nunc in cerebro genito, nunc viſceribus malè affectis ſurſum elato, originem ducens. GAVT. Hoc morbi genus ſemper admiratus ſum. CAR. Quam ob rem? GAVT. Propter ſtupenda ipſius effecta. Nam, ſuperioribus annis quidam hoc in noſtro Albano monte eo morbo correptus, nocturno tempore diſcurrens gallum gallinaceũ imitabatur, & brachiorum ad latera concuſſu cantum huius animantis effingebat: regem quoque, aut pontificem quendam ſeſe arbitratus, edicta proponebat, cunctiſque obuiis quæcumque mente turbata conceperat, pœna præſcripta imperabat. Alius hoc ipſo affectu diſcruciatus, ampliſsima beneficia quotidie conferebat, domos alienas donabat, & coniugia pro animi motu inordinato procurabat, noctes diéſque vigilabat, perpetuáq; inſomnia torquebatur. CAR. Scio quoſdam hoc mali genere afflictos, qui lupos ſeſe arbitrati noctu per campos manibus pedibúſque nixi gradiebantur, lociſque auiis vlulabant: atque manè domum reuerſi, nihil horum prorſus memoria tenebant GAVT. Audiui à viris fide dignis horum nonnullos futura vaticinatos, imo variis linguis vſos interdum fuiſſe. CAR. Non ſum huius tanti miraculi neſcius. Nam, me vix annos ſeptem nato, vicina quædam morte mariti longo, vehementiq; mœrore diſcrutiata, hũc affectum incurrit: & carceribus concluſa (obuios enim furioſe inuadebat) cum viris doctioribus de rebus diuinis, & arcanis agebat, multorum ſeculorum anteriorum hiſtorias referebat, quum tamen omnis literaturæ rudis eſſet, atque idiota. GAVT. Iſta opera vulgus cacodæmonibus, malignĭſque ſpiritibus tribuit. Cuius etiam rei gratia, dæmoniacos vocat. CAR. In re tanta vulgo fides habenda non eſt, vtpote quod quanta poſsit animus immortalis mortali corpore concluſus, & vementia huius humoris exagitatus effingere: non intelligit. Quemadmodum nec hi, qui animos ab æterno creatos fuiſſe contendunt, propterea quòd ea

cogno

cognoſcunt quæ multis annorum millibus antequàm in corpora mitterentur, geſta fuerunt. In qua etiam hæreſi Platonem diuinũ illum philoſophũ (in Menone) fuiſſe credo. Scripſit enim, noſtram ſcientiam nihil aliud eſſe quàm reminiſcentiam quandam: nihilque noui nos diſcere, affirmauit. Ego verò, neque cacodæmonibus, malignisque ſpiritibus, nec animorum æternitati, tanta naturæ prodigia tribuenda cenſeo: ſed potius ἐνθουσιασμῷ, hoc eſt numinis afflatui, eique planè diuino adſcribenda, religioſè credo. Nam, græci, id genus melancholicos peculiari nomine vſi ἐνθέους, ſeu ἐνθουσιαστικοὺς nuncupant. Quibus ſanè vocibus numine quodam afflatos, & fanaticos intelligi volunt. Mens enim vi huius morbi ſæuiẽtis corpus ipſum ad tempus quaſi deſerit, necnon perinde acſi ſeparata foret, diuina quædam contemplatur. Vbi verò remittitur paſsio, paulatim ad ſe reuertitur. In hoc igitur affectu, tam varias, tamque diuerſas, & admirandas imaginationes excitante, ab humore melancholico toto corpore genito, profectò, quis communem ſeu mediam gibberi venam ſecandam non ſtatim propoſuerit? idque potiſsimum viribus adhuc integris, quo nimirum à toto corpore fiat vacuatio. Si verò, in cerebro ſolo ſuccus iſte copioſior genitus eſt: exteriorem gibberi, ſeu cephalicam incidere, non modò vacuationis, ſed etiam maioris mali præcauendi gratia, vtilius fuerit. Habes Gautere, maximos, eóſque internos capitis tum calidos, tum frigidos morbos venæ ſectionẽ aut recipiẽtes, aut recuſantes, quibus addere licet cephalalgias, cephaleas, & hemicranias, quæ ſi à plenitudine generentur, ſectæ venæ præſidiũ poſtulant. Si verò à cacochymia naſcuntur, ad medicamenta purgantia (neglecta ſanguinis miſsione) animum intendere tutius eſſe credo. Hactenus de internis capitis affectibus dictum ſit. Nunc ad externos ſtilum conuertamus. Horum igitur, primas tenent, ophtalmiæ præſertim, ex plenitudine caput grauante, originem ducentes: quibus nullum præſentius miſsione ſanguinis per humeralem remedium inueniri poteſt. Quemadmodum autoritate Galeni cap. 17. lib. de curan. rat. per ſang. miſſ. confirmare, veriſsimè poſſumus: qui huius præſidij beneficio vſus, œconomum diuitis in ſuburbio Romæ habitantis, ignorantia medici ſanguiſugi diebus 20. ophtalmia grauatum, & cæcitatis periculo proximum, triduo ſanitati reſtituit. Vbi autem hæ acribus humoribus excitantur, balneo eſt opus. Si verò, nihil amplius in oculos defluit, fomentum proderit. Porrò

quando

quando cacochymia mali occasionem præbuerit, medicamento purgante (si Hippocraticã doctrinam recipimus apho. 3. lib. 6.) vti conuenit. De phlyctenis autem, seu bullis oculorum, siquidem rubicundiores fuerint, repletóque corpore eruperint: consentientibus scopis humeralis dictæ venæ sectionem non improbauerim, sicut nec in malignis oculorum hulceribus, præsertim ipsius corneæ è regione pupillæ, sugillatis, suffusionibus, dilatatione pupillæ, visus obscuritate, nocturna cęcitate, expressione oculi, aurium dolore ab inflammatione profecto, parotidibus, sanguinis è naribus largiore profluuio, dentium dolore à plenitudine, aphtis adultorum. Quoniam autem, caput collo veluti communi vinculo thoraci adhæret, de passionibus colli venam sectam postulantibus obiter agam. GAVT. Agedum obsecro. Nam & angina multiplici, & tonsillarum inflammatione, & gargareonis laxatione, choeradibus quoque, seu strumis interdum grauiter affligitur. CAR. Omnes colli affectus quos modò recensuisti (demptis strumis) scopis non repugnantibus externæ cubiti venæ sectionẽ desiderant. Quidam tamen, (vt anginæ, & collumellæ inflammatio) venas sub lingua apparentes incidi: sanguinémque mitti donec sua sponte fluere desinat, postulant. Strumarum porrò malignæ curationem non recipiunt. Mites verò, secta vena non egent, quin potius excindendæ, modo quem Aetius cap. 5. lib. 15. & Paulus cap. 35. lib. 6. tradiderunt. Thoracis autem vehementes affectiones paucę admodum, verùm perniciosissimæ existunt. In primis pleuritides sinistri lateris, quoniam cordi vitæ principio propinquiores sunt. Vnde, scopis non reluctantibus, mox vena basilica è directo lateris dolentis incidenda: sanguisque ad coloris mutationem vacuandus. Cauendum tamen, ne specie & imagine quadam decipi nos sinamus. Quidam enim sunt morbi laterales, quos nothos medici rectè nuncupant, non me hercle, ab inflammatione tunicæ costas succingentis, sed potius cruditatibus plurimis, crassis quoq; cibis, ac pituitosis, è quibus humores eiusdẽ generantur & vel in pulmones, vel inane thoracis spacium sese ingerunt, pleurámque distẽdunt. Adde, quod eiusmodi materiæ excitãdis flatibus sunt aptissimæ. Qua de re, in his non magnopere venæ sectionis consilium probauerim: sicuti in illis quibus febres continua, difficultas spirandi, dolor lateris punctorius, & tussis primis diebus sicca, deprehenditur. Hæ namq; (teste Galeno ca. 3. lib. 1. crise.) exquisitissimę sunt pleuritides. Neque rarò medicos

medicos parum attentos hepatis, aut musculorum vicinorũ inflammationes fallunt. GAVT. Quo pacto? CAR. Inflammationes istæ ad iugulum vsq; dextrum dolorem protendunt. Qua de caussa, pleuritidis suspicionẽ adferunt. Verùm enimuero, longè aliter quàm morbi laterales tractandæ sunt. GAVT. Quur è directo lateris dolentis venã secandam censes? Id enim, permultis parum admodum probatur, quòd secta vena, noua doloris accessio lateri dolenti superueniet. Cuius rei gratia, quæ ex latere opposito fit sanguinis missio, illis tutior, atque commodior esse videtur. CAR. Qui venæ sectionẽ è directo lateris dolentis improbant, neque Hippocrates, neq; Galeni volumina satis accurate mihi legisse, videntur. Hippoc. enim lib. de victu acutorũ, sanguinis eruptionem κατ' ἴξιν, hoc est è directo factam tantopere cõmendat: vt eã primariũ caput curationis statuat. Gale. verò ca. 16. lib. de cur. ra. per sang. miss. de pleuritidis cura verba faciens, ita scriptum posteritati reliquit. Quin & pleuriticis quæ ex directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio, clarissimam sæpe vtilitatem attulit. Quæ verò ex brachio opposito, aut omnino obscuram: aut certè post temporis interuallum. Paulo autem postea. Porrò (inquit) tam perspicuum, celeréque remediũ quæ è directo affectis partibus venæ secantur adferunt, vt & qui patiuntur: & familiares ipsorũ sæpenumero obstupescant. Quod autem verentur, latus pleuritide grauatum è directo vena secta deterius affectum iri, prorsus ridiculum est: vti quotidiana testatur experientia. Nam, hac ratione & leuius sese habebit, & cuncta symptomata huic affectui vinculo indissolubili copulata minuentur, quod nos millies de venæ sectione tẽpestiuè cogitantes, experti sumus. Præterea, dolente (verbi gratia) latere dextro, sanguis venis lateris oppositi contentus, nihil prorsus vitij cõtraxit. Qua ergo de caussa, ab istis indoctis, & imperitis artificibus, non cogitantibus quantum boni laudatíque cruoris secto vase lateris oppositi effluere oporteat priusquàm qui inflãmationem pleuræ excitat, vacuari possit, mittitur? Adde si lubet, quòd natura quanto potuit studio, breuiores, ac tutiores vias semper elegit: quódq; promptè excerni potest, nũquam diutius retinet. Deinde si optima illa parens, quod tutissimum est perpetuò excogitat: quis nescit rectas vias obliquis multo & meliores, & tutiores? Valeant igitur isti malè feriati homines, & exemplis Hippocratis, atque Galeni instructi: in morbis lateralibus curandis, mox ab initio antequam vires labascant axillarem, seu basilicã eiusdem lateris

nẽpe dolentis secent:nõ tamen expectata lypothimia, propterea quod calidiores,acutioresq; morbi notabilẽ spirituũ resolutionẽ cito efficiunt. Verùm de his hactenus. Nunc ad cordis tremorẽ seu palpitationem propositæ disputationis rationem dirigamus. GAVT. Quũ hic affectus frigidus sit, & raro viribus validis inuadat:an venæ sectione indiget? CAR. Vt variis de caussis generatur,ita diuersa remedia postulat. Sola quippe cordis ipsius intẽperies,interdũ illum creat:quo casu sanguinis missionẽ minimè probauerim. Nonnunquam ab humore immodico pericardium distendente generatur. Quare, si frigidus est succus ille capsulã cordis grauãs,venę sectione abstineto. Sin calidus,tutissimè sanguinem mittere potes. Neq; hac de caussa,vel tantillum à Gale. vestigiis ca.1.lib.5.loco.affect. deuiabis. Nam, palpitatio cordis (inquit)pluribus integra valetudine degentibus tum adolescentibus,tum adultis, subito sine alio manifesto symptomate euenire visa est:atq; omnes sanguinis detractio iuuit. Hoc enim pacto,plerique; perfectè ab hoc symptomate liberati sunt:præsertim qui vtebantur victu tenui,& medicamentis quibus tenuandi facultas inesset. GAVT. Quænam vena his incidenda? CAR. Sanè,basilica dicta,aut media. Nam, per humeralem longissimus esset tractus,ideóq; minimè cõmodus,aut tutus. GAVT. In sincope alterutra,an non phlebotomia interdum vtilis foret? Scripsit enim Hippo.aph.6.lib.1.extremis morbis extrema exquisitè remedia esse optima. CAR. Quum sincope sit præceps virium lapsus,immoderatam sanguinis missionem,aut ventriculi vehementem inanitionem,aut aliud tale quid consequens, profectò nullo pacto in ea sectionem venæ probauerim : deficiente nimirum primo scopo,nempe virium robore. Quam ob rem,ad alia præsidia recurrendũ censeo,quæ sanè plurima huic affectui pellendo:restaurandísq; viribus collapsis,destinata sunt,quorũ contemplatio ad medẽdi methodum pertinet. Quod autem ex Hippocrate obiecisti,sanam intelligentiam desiderat. Non enim, omnia in extremis morbis tentanda,sapiens ille senex suadet. Id quippe non mederi,sed iugulare, miseréq; insontes occidere foret. Nam,proh deûm atq; hominum fidem,quę maior dementia excogitari potest, quàm si ægris iam quasi desperatis ea propinuntur medicamina:quæ ne constantibus adhuc viribus natura tolerauerit vnquam? Præterea, Hippocrates de extremis extremorum morborum remediis verba faciens,non de omnibus,verùm duntaxat his quæ victus ratione constant,intelligit: perinde

ac

ac si apertè diceret. Extremis morbis, seu acutissimis tenuissimũ victum constitui oportere: quo scilicet tota vis naturæ propellẽdo morbo sit occupata, neq; oblati alimenti coctione distracta. Adde, quòd etiã si sanguinis missio, aut clementis alicuius pharmaci exhibitio, certa quadam ratione opem aliquam ferre posse creditur: tamẽ (adhibita præfatione) bonus medicus cum Celso cap. 10. lib. 2. raciocinabitur, satius esse anceps consilium experiri, quàm nullum. Verumtamen, sollicitè semper cauebit, ne quid præter rationem instituat. Hanc enim, veluti optimã magistram audire nos in omnibus oportet, nimirum quæ cuncta facienda verissimè docebit. GAVT. Quando in affectus thoracis incidimus, & iam de pleuritide, cordis palpitatione, sincope duplici, copiose disseruisti, reliquos, nempe tusses, asthmata, peripneumonias, empyemata, sanguinis reiectationem, phtisim, & id genus alios obsecro cœpta methodo persequere: & si venã sectam necne requirũt, ostende. CAR. Tusses, & asthmata, si à corporis plenitudine originem ducunt, scopis non repugnantibus phlebotomiam non respuunt, sed mediam seu communem dictam venã secari permittunt, aliâs minus. Peripneumonia verò, quoniam aliis morbis (eísque longis) quibus fortè sanguis detractus est, aut vires insigniter minutæ, non hanc medendi rationem, sed alia præsidia desiderat, quemadmodum & ipsa empyemata. Sanguinis autem reiectatio, seu cruenta expuitio, si à plenitudine & copia huius succi proficiscitur: nullo commodiori præsidio quàm axillaris venæ sectione, cohiberi potest. Quin & ipsa natura hanc apertè suadet, quæ sic affectis copiam sanguinis affatim mittit: eáque ratione aliquantulum subleuat. Si verò qui expuitur sanguis à capite in thoracem defluit, isq; copiosus: incidenda humeralis, ne (scilicet succus iste deorsum labẽdi consuetudiem induat. Contingit etiam in pulmonibus ipsis vas aliquod, aut ictu, aut casu ex alto, aut cõtentione vocis nimia rumpi, quo sane tẽpore, de internæ cubiti venæ sectione tempestiuè cogitandum. Sanguis enim, extra sua vasa cito corrumpitur, noxiásq; qualitates acquirit. Cauendũ tamen, ne affatim & semel mittatur: sed parum & frequenter, quoniã sic affecti largiorem vacuationem non perferunt. Sunt enim pulmones cordis ministri, eiq; vicini. Quando verò ab erosione vasis alicuius sanguis spuitur, non est tuta eius missio: verùm, acres erodentésque humores idoneis medicamentis purgare & ne amplius distillent, præcauere præstat. Sunt quoque nonnulli qui ex ventriculo san

 guinem

guinem reiiciunt. GAVT. Vnde illic colligitur? CAR. A iecore, vel liene transmittitur. Si ergo hepar mittit, basilica, splene autem mali occasionem præbente, splenitica inter paruum & annularem digitum locata, secanda venit. Porrò, qui è palato cruorem reiiciunt, huius missione non indigent: vtpote, quibus adstringẽtes gargarismi abundè sufficiunt. GAVT. Erosis pulmonum vasis, hulcera malignissima, & perniciosissima succedere sæpius expertus sum, præsertim in his qui diutius sanguinẽ reiectassent. Quid igitur hìc agas? An etiam venam secari iubebis? CAR. Rem grauissimam profectò, atque tuo ingenio dignam proponis, in qua etiam medicorum principes non parum laborauerunt: vtpote scientes hulcera eiusmodi aut nullã prorsus, aut sanè difficilem admodum curationem recipere, nullisq; medicamentis facilè cedere. Tametsi Galen. 5. meth. multos hoc morbi genere correptos vsu lactis, & Tabiarũ commodis se sanitati pristinæ restituisse, testetur. GAVT. Quænam sunt huius tam difficilis curationis caussæ? CAR. Plures profectò. Pulmones enim assiduè mouentur, hulcerum autem curatio quietem desiderat: alioqui refrigerantur, & renocantur: incrementáque suscipiunt. Deinde, substantia rara, leui, ac tanquam spongiosa, (qua de caussa facilè hulcerabili) cõstant. Calor quoque natiuus illis imbecillus adest, vnde, humores neque facilè coqui, neque expelli queunt. Rursus, sola tussi repurgantur, quæ quum sit expultricis facultatis motus quidam violentus, dicta pulmonum hulcera exasperat: malignoráque reddit. Situs quoque ipsorum recipiendis medicamentis idoneis parum admodum opportunus est, propterea quòd (teste Gale. lib. 2. ad Glauc. ca. 2. longam admodum viam hæc peragrare, priusquam in pulmones perueniant oportet. Verùm, vt omnẽ cauillandi, ac tergiuersandi occasionem zoilis quibusdam adimam, autoris verba referam. Considera itaque (ait) quot numero partes id medicamen quod ad pulmonem sit peruenturum, transire oportet. Primùm quidem os, & fauces, & stomachũ, deinde & ipsum ventriculum: & quædam ex tenuioribus intestinis, post hæc, eas quæ sunt in mesenterio venas, deinde eas quæ in simis partibus hepatis, ex quibus ad eas quæ in connexis, seu gibbis transsumptum, hinc ad concauam peruenit venam, post quã ad cor, deinceps hoc modo ad pulmonem. Neque negare possumus, quin in singulis partibus his, quibusdam admisceatur humoribus, ac quandam transmutionem atq; alterationẽ pro natura visceris capiat. Quare, quod

de

de eius virtute relinquitur, minus omnino est, atq; imbecillius, quàm vt membrum affectum iuuare posit. Vnde, cuiuis vel etiam medicinæ tironi, primam præcipuámque tantæ difficultatis caussam patere, arbitror. Neque tamen huius formidine ægri soli velut desperati, atque extra spem recuperandæ valetudinis constitituti, deserendi sunt, verùm, idonea in primis victus ratione: Deinde sanguinis misione, post hæc purgatione: & capitis roboratione sanitati pristinæ eos reddere conandum: eáq; pharmaca exhibenda quæ Gal. 5. meth. copiosè scripta reliquit. GAVT. Súntne plures affectus thoracis misione sanguinis egentes? CAR. Duo supersunt, nempe lactis redundantiam: & mammarum inflammatio. Hæc enim, liberè fluentibus menstruis axillarem cõfestim secari postulat. Illa verò, quum ex sanguinis boni copia originem ducat, nullo præsidio magis, quàm venæ basilicæ incisione iuuari potest. Iam affectus capitis, colli, ac thoracis, venæ sectionis opem præ cæteris postulantes, satis superq; commemoratos accepisti. Cuius rei gratia, mox ad imi ventris pasiones accedo, dicturus in primis de morbis ventriculi, quòd nimirum huius actio naturalis, toti corpori sit communis. GAVT. Age obsecro. Nam imbecillitas, cruditas, dolor, inflammatio, nausea, vomitus, singultus, appetentia canina, cibi fastidium, inflatio, cholera quoq; morbus, hunc discrutiare consueuerunt. CAR. Cholera morbus vltimo loco numeratus, omnium affectuũ ventriculi vehementisimus est: vtpote, per quem supra & infrà simul excremẽta non sine maximis profectò symptomatibus, & periculosa syncope redduntur. Quibus de causis hîc propter inordinatos, contrariósque naturæ motus venæ sectionem non admodum probauerim. Adde si lubet, quod tam furiosa pasio, vires statim prosternit. Quare vomitoriis dictis medicamentis, necnon ænematibus vti, sed vicisim, multo satius fuerit. Quod etiam pleriq; omnes nostræ tempestatis prudentiores medici studiosè faciunt, non tamen interea neglectis epithematis cordi destinatis, quod hanc pasionem non modò sincope: verumetiam tremor cordis consequitur, in quo (vt superius quoq; dicebamus) vsus phlebotomiæ maximè suspectus haberi debet: quemadmodum etiam in ventriculi imbecillitate, cruditate, nausea, vomitu, dolore, cibi fastidio, inflatione, singultu atque appetentia canina. Nam, quum omnes isti morbi ex cachymia potius, quàm plenitudine procedant: clysteribus, & admotis externis præsidiis, multò tutius quàm secta vena curãtur.

Cuius rei locupletissimus testis est mihi Gale.12.meth. quando inquit: Omnibus, quicunque febricitant ex crudorum succorum copia, vel cruditatibus, vel alia occasione coaceruata, vnà cum oris ventriculi offensione, perniciosa est sanguinis missio, quum tamen vacuationē desiderent: verùm, nec sanguinis missionem, nec purgationem sustinent: & tamen nisi vacuentur subitas sincopas incurrunt. GAVT. Quid igitur (quæso) præsidij talibus adferas? CAR. Si Gal.(lib.2.sani.tu.) consilia recipimus, frictionibus vtendum: quarum species & formas ipse diligentissimè expressit. Nec ergo in cruditate huius visceris, quam Græci ἀπεψίαν vocant, nec dolore orificij eiusdem, sanguis mittendus. Extremæ namq; dementiæ foret, in locum vitiati quāuis cruoris, humores incoctos plus detrimēti allaturos accersere. Quod autem dolente orificio missione huius familiaris succi religiosè abstinendum sit, lib.1.ad Glauc.ca.14. palam fecit, vbi inquit: Si os ventriculi dolet, sanguinis missione abstineto, donec illi prospexeris: alioqui ægrum interficies. De vomitu autem, hoc vnū medicinæ candidatos monitos esse velim, criticum scilicet non reprimendum: sed potius prouocandum, alium verò quemlibet immoderatum, multa cautione sistendum. GAVT. In frigidis affectibus ventriculi venā tutò non posse incidi, recipio. Verùm eo ipso aut inflammato, aut supramodum calfacto, quidnā hoc præsidij genere medicum vti, prohibet? CAR. Si totius corporis plenitudo viribus robustis copulata sit, basilicam, seu axillarem, aut internam gibberi venam secari, nihil vetat. Hæc enim quum magna ex parte sanguinis copia generetur, ceteris morbis adiuncta, mittendi sanguinis occasionem præbet. Vbi verò deest, neq; inflammationi huius visceris copulata: venę sectione prorsus abstinendū censeo, propterea quòd teste Gale. lib.4. de vsu part. paucæ admodum venæ in ventriculi substantiam penetrant. Qua de caussa, citra plenitudinē misso sanguine, hunc parum iuueris: imo (fortasse) insigniter offenderis: ipsiúsq; actionem toti corpori communem remoraberis. Vt autem ventriculus, ita hepar quoq; multis morbis quorū nonnulli venæ sectionem desiderant, alij verò eandem respuunt: obnoxiū est. GAVT. Hos quæso distingue. CAR. Huius visceris imbecillitas, aliunde quàm ab immodico calore humores in ipso contentos superassante, & tandem inflammationem excitante, profecta, venæ sectione nihil penitus eget. Si verò, calor ille immodicus adest, nemo est qui ex consilio Gale.13. Meth. mox, & affatim, tum vacua

tionis,

tionis,tum reuulsionis gratia sanguinem non miserit. Hanc autem iocinoris imbecillitaté hydrops omnis,& cachexia (in qua propter cruditates sanguinis misionẽ improbo) comitari cõsueuerũt:mala profectò admodũ perniciosa,nisi tẽpestiuè illis obuiãitur. GAVT. Hydropici sanguinísne misione indigent?CAR. Anasarcis quibus hæmorrhoidibus aut mensibus suppresis totum corpus intumuit,nullum præstantius remedium excogitari potest:si modo vena poplitis,aut malleoli,nõ autem alia vlla incidatur.Nã,hac vacuatione & infestans plenitudo exhauritur,& ægri natura alacrior efficitur,minuta scilicet morbi caussa. Ceteris autẽ,hæc perniciosa cẽsetur,quemadmodũ Iacobus Siluius artis medicę peritissimus lib.de inter.morb.cur.rectę docuit:affirmans sanguinis misionẽ omni hydropi noxiã:maximè quidẽ tympanię,medio modo ascitæ,minus anasarcæ,nisi hęmorrhoidibus aut mensibus suppressis accidat,vti etiam superius monui. GAVT. Quũ hydrops omnis(vt testatur Gal.ca.6.li.5.loco.affe. hepatis vitio generetur,quur obsecro huic magis,illi minus noxia est venæ sectio? Mihi quidẽ tutius videtur,si ex æquo in omnibus curandis misione sanguinis abstineatur : propterea quod iecur prius immoderatè refrigeratũ,vacuato sanguine frigidius efficitur: CAR. Bellè ratiocinaris, Verùm,si mensibus, aut hæmorrhoidibus suppressis anarsarca laborantibus succus iste non vacuatur,sursum per venas ad hepar regurgitabit:& calorem visceri insitum,vt verissimè sentit Gale. Commento aph.12.lib.6. suffocabit. Adde,quòd materia anasarcam efficiens,in venis præcipuè continetur:qua de caussa , harum incisione subleuari posse rationi maximè consentaneum videtur,etiam si (vt rectè sentis) iecur inde frigidius euadat. Hoc enim symptoma,multis modis reparari,corrigíq; commodè poterit. In aliis autem duabus speciebus , non in venis , sed sub peritoneo mali caussa continetur. Cuius rei gratia,secta vena nocebis potius,quã iuueris. GAVT. Hydropi febris non raro superuenire solet vti experientia abũdè testatur. Quid igitur hoc casu faciendum? CAR. Habenda sanè vrgentioris affectus ratio,altero tamen non neglecto : quemadmodum in ictero,& scirrho. Nam,quum icterus flauus obstructa vesica bilis flauæ susceptrice generetur , sanguinis è basilica dextra misione,& redundantis humoris vacuatione (non turgente per corpus humore)commodè pellitur. GAVT.Si turget,quid agendum? CAR. Venæ sectione abstineto. GAVT. Quur obsecro? CAR. Quòd sanguis ceterorum humorum velut frenũ,&

retinaculum ſit, Niger porrò icterus, vitioſa ſplenis diſpoſitione efficitur: neq; venæ baſilicæ ſiniſtræ inciſionem reſpuit. Scirrhi autem tam hepatis, quàm lienis, medicamentis emollientibus magis quàm ſanguinis miſsione indigēt. Oſtructiones verò, ſeu oppilationes iocinoris, interna gibberi ſecta bellè tolluntur. Dum enim vacuatur ſanguis, craſſæ, lentæq; materiæ illas excitantes agitantur, itaq; meatus aperiuntur. Nec velim te, aut quēuis alium ſuſpicari, me ſanguinis vacuationem probando neceſſariam poſtea purgationem negligere. Nam, & ſi humores illi craſsi agitantur, non tamen purgantur, præſertim ſi fuerint pituitoſi. Splenis autem meatibus obſtructis, eadem, ſed paulo vehementiora remedia cōueniunt. GAVT. Qua de re? CAR. Ob vtriuſq; viſceris diuerſam admodum ſubſtantiam, prudenti medico non oſcitanter conſiderandum. GAVT. De renum affectibus quid ſentis? Nam, plerique grauiſsimos cruciatus excitant. Eſtne igitur horum occaſione ſanguis mittendus? CAR. Niſi Galenus vnum libellum de affectus renum dignotione poſteris reliquiſſet alterum verò de calculo, multa ſuper his profectò diſputanda, tractandáq; offerebantur. Verùm, eis libris perlectis, quiſque ſuo marte ſi vena ſecta opus eſt necne, iudicare valebit. Hoc tamen vnum adiiciam, quòd ſcilicet renum inflammationes, & hulcera: baſilicam eiuſdē lateris ſecari deſiderant. Quamquam poplitis aut malleoli vena (teſte Gale. lib. de cur. rat. per ſang. miſſ.) non abſq; manifeſta vtilitate cōſequuta, quidam ſecari prçceperint. Quibus autē dipſacos incipit, his interna cubiti vena vtiliter inciditur. GAVT. Quur tantopere ſitiunt hoc affectu, ſeu diabete corrupti? CAR. Renum tractus facultas tum eſt validiſsima, adeo vt ob immoderatum calorem totum corpus exhauriat, & deſiccet. Vnde profectò, immenſa illa frigidi humidiq; alimenti cupiditas oritur. Quoniam autem, veſicç maiori per vreteres magna cum renibus eſt communicatio: obiter tractatis renalibus pathematis, de ipſius affectibus venæ ſectionis opem deſiderantibus, paucis dicam. Nam, & calculo, & inflammatione, & ſanguinis, puriſq; mictu, & grumis, & hulceribus, & ſtranguria, & diſuria, & iſchuria, aliquando grauiter offenditur: ſicut & ipſe coles, qui nonnunquam exhulceratur, aut præter modum intumeſcit, ac diſtenditur, interdum quoque ſeminis profluuio (quod gonorrheā dicunt) grauiſsimè cruciatur. Quādo igitur, ſuſpicio eſt lapidis in veſica, ſi totius corporis plenitudo cum virium robore adfuerit: poplitis, aut malleoli ſecta

vena

vena prodest. Sin minus, ad ea quę calculos non modo frangunt, verumetiam atterunt: atque in puluerem reducunt (cuiusmodi sanguis hircinus) confugiendum. Inflammata porrò vesica, quis adeo stolidus qui venæ poplitis tempestiuam incisionem reprobauerit? Vix enim ad inflammationes reprimendas præstantius remedium inueniri, aut excogitari potest. Erumpente autem ex vesica sanguine, aut ibidem collectis grumis, si vires ferunt, internam cubiti incidere: necnon sæpius sanguinem detrahere prodest. Hac enim ratione reuulsio sanguinis deorsum ruentis, & cauitate vesicæ in grumos coalescentis, efficitur. GAVT. Vnde sanguis iste colligitur? CAR. Nunc ex renibus (teste Hippocrate Apho. 75. 78. 81. lib. 4.) defluit, nunc verò ab acribus humoribus erosa, aut casu quodam rupta vena, ex ipsamet vesica erumpit: hulceribus iam perfectis. GAVT. Perniciosa sæpe expertus sum hæc maioris vesicæ pathemata. CAR. Rectè perniciosa dixisti, siquidem aut prorsus, aut adhibita quāuis medici diligentia, ægerrimè ad cicatricem perueniunt. Quum enim (teste Galeno lib. 1. fac. nat. lib. 5. de vsu part.) vesicæ substantia neruosa sit admodum, ea profectò facilè glutinari, non permittit. Taceo interea, quòd vrina acris, & mordax hæc perpetuò contingens, asperiora, maligniorá que reddit. Adhæc, tametsi ægri hanc sæpius reddere compelluntur, aliquid tamen perpetuò relinquitur, quod partes illas neruosas malè diuexat. Quinimo, & in ipsa mictione totum vesicæ corpus contrahi necessum est: quod sanè absque affectus per se satis maligni exacerbatione, fieri nequit. Quibus de caussis adductus, venæ sectionem in his non probauerim: sicuti nec in stranguria, nec disuria, nisi adhibitis cautionibus quas Galenus Hippocratis scripta Apho. 36. lib. 6. Apho. 49. lib. 7. exponens notauit. Vbi verò, prorsus vrina supprimitur, caussam morbi diligentissimè perscrutandam censeo. Hæc autem multiplex quum sit, varia quoque remedia sanguinis missione longè commodiora, postulat. Porrò, coles absque inflammatione hulceratus, nihil prorsus secta vena opus habet. Si autem adeo intumuit, vt priapismus adsit, corpore pleno, necnon redundante sanguine: dextri brachij mediam, seu communem incidi non inutile fuerit. Postremò, infestante gonorrhea semen extinguentibus medicamētis, quàm phlebotomie vti satius mihi videtur propterea quod semini tum generando, tum elaborando, tum emittendo sua vasa prudentissima fabricauit natura: de quorum situ, origine, forma, actio-

nisque vtilitate quia Galenus abundè lib.1. de semi. lib. 14. de vsu part. lib. de dissect. venarum) disseruit, ne vnum quidem verbum mihi nunc faciendum arbitror: sed potius ad affectus vteri, seu matricis stilum orationis vertendum censeo. GAVT. Agedum mi Caruine. Miranda quippe, huic muliebri sexui pathemata eueniunt. Si enim (ait) Hippocrates Apho. 57. lib. 5. menstrua plura fiant, mediocritatémque excedant: contingunt morbi, si verò non fluxerunt, ex vtero accidunt. Nonnullis prętere a nunc cruētus, nunc purulentus, nunc pallidus, nunc flauus, nunc aquosus humor perpetuò per collum huius genitalis organi defluit. Aliis vterus suffocatur, & ad superiora retractus, sincopas vehementes excitat. Quibusdam contra, deorsum labitur, adeo vt interdum collum ipsius extra promineat. Non paucis aut mensium, eorúmque suppressarum corruptela, aut concubitu metas rationis excedente inflammatur. Neque desunt, quibus in vtero mola quædam carnosa ex seminis & mensium corruptione gignitur. Reliquis adeo inflatur, vt grauidas sese absque coitu arbitrentur. Ceteris os matricis, aut ceruix eiusdem obstruitur, tandémque hulceratur. Quid ergo in tanta vnius genitalis membri morborum varietate, medico vel etiam prudentissimo faciendum censes? An non etiā in cunctis mittendus sanguis? CAR. Charissime Gautere, quoniam tuo more me cogis, dicam paucis quod censeo. In primis, vtero inflammato poplitis, aut malleoli venæ sectionem pręstantissimum esse remedium. Galenus namq; lib. de cur. rat. per sang. miss. non modo in hoc affectu, sed etiam inflatione, hulceratione cum phlegmone, scopis consentientibus eam probat. In mola vero à plenitudine, internam cubiti secari ratio medendi postulat. Verū, in huius suffocatione, procidentia: quoniam vires cito labascunt, tutius est alia remedia quærere, illisq; inuentis prudenter vti. Quod autē ad mensium retentionem non naturalē attinet, si ratione plenitudinis affectus prouenerit, poplitis, aut malleoli venā impendente consuetę purgationis tempore incidi, Gale. lib. de cura. rat. per sang. miss. Vbi verò immoderatè fluxerint, hoc præsidij genere abstineto, propterea quod omnis vacuatio immoderata vires dissoluit. Postremò, quū varius ille fluor vterū facessit, si ruber est, venæ sectionem non distuleris: alioqui hydropem, paralisim, cōuulsionem, aliáque id genus mala accerses. GAVT. Quæ vena incidenda? CAR. Interna brachij, quòd nimirum hic sanguineus, rubeúsq; fluor sæpius abundantiam sanguinis consequitur. Reliqui porrò vteri

fluores

fluores,sua postulant pharmaca. Testibus quoq; sui non desunt morbi:sed nonnunquam rupto peritoneo, intestina in scrotum delapsa illos grauant.Interdum humor copiosus, isque aquosus ibidem colligitur:aut dura carnosáque substantia in ipsis internis didimorum tunicis generatur.Quin,& ipsum omētum non paucis decidere consueuit. Aliis verò vasa testiculorum intumescunt,ac sanguine ita replentur:vt phlegmone oriatur, cuius calore immoderato sanguis copiosior trahitur, adeo vt calor natiuus suffocetur,fiátq; estiomenus dictus morbus, quem nos superioribus annis in tinctore quodā vidimus,cui hulcus primùm in peritoneo, deinde testiculorū inflammatio, postquam estiomenus generatus:& paucis diebus periit. In his autem didimorum affectibus,venæ sectione abstinendum. GAVT. De colico dolore,ileo,lienteria,disenteria,tinesmo,diarrhea,aui procidētia,quæ intestinorum pasiones sunt: non sanè mites, quid censes? CAR. Colicus dolor aut à crasis,frigidisq; humoribus,aut flatibus obortus, nihil secta vena eget. Vbi verò ab inflāmatione generatur, vrinis probè fluentibus internam gibberi secare abs re nō fuerit. Sin minus,pro ratione situs ipsius doloris, malleoli vena secetur.Ileos autem,seu conuoluulus dictus morbus, quum grauisimos letalésq; dolores adferat, variisq; de causis excitetur, omnibus ætatibus sit molestisimus, & perniciosisimus,si ab inflammatione originem ducit,internæ cubiti sectionem recipit,aliâs nunquam.Cuius rei gratia, ad clysteres acres, & pharmaca vomitoria dicta confugiendū, præsertim vbi stercus vomere incipiunt.Ceteri quinque,sua præsidia neglecta sanguinis misione poscunt.De hæmorrhoidibus autem,tametsi superius aliqua dixerimus, hoc vnum tamen adiiciendū mihi videtur,nempe septem duntaxat esse, easq; omnes miro quodam ordine ex ramis venæ cauæ descendentis in rectum intestinum deriuari. Quam ob rem,si cæcæ fuerint,nihilq; sanguinis foras emiserint,vena poplitis, aut malleoli secanda. Sin patentes, & apertæ (nisi immoderatè fluxerint) nec viris. nec mulieribus sistēdæ. GAVT. Priusquam hinc discedamus,de artuum morbis, quique brachia, crura, manus, ac pedes discrutiant miserrimè, quæso tuam sententiam aperi. Isti namque, soli superesse mihi videntur. CAR. Qua methodo de affectibus capitis, thoracis, ventrisque imi,hactenus tecum familiariter disputaui, eadem profectò de Ischiadibus (inueteratis præsertim) chiragris, podagris,atque,vt vno verbo dicā,arthritidibus agam. Hæ namq;

sunt

ſunt artuum maximæ paſsiones.Iſchiadas igitur à plenitudine humorúmq; copia profectas,nullo præſtantiori remedio vel citius vel tutius curaueris, quàm ſi tempeſtiuè ex conſilio Galeni lib.10.de comp.med.ſec.loc.aut poplitis, aut malleoli aut internam cubiti ſecueris. GAVT. Quur nunc poplitis,nunc malleoli,nunc internã cubiti ſecari iubet Galenus? CAR. Propter cauſſarum varietatem.Quis enim mente conſtans,fluentem ad manus,vel pedes copioſum adeo ſanguinem: vt in tumorem notatu dignum attollantur,bis,térq; ne dicam ſemel duntaxat,non miſerit? Quum enim arthritidis hęc ſpecies,ætatem florentem nimio aut crapulę,aut veneris vſu maximè infeſtet:neglecta venæ ſectione,velis nolis repellentibus vtendũ erit.Cuius rei gratia,ſanguis qui partes ignobiles digitos nimirũ pedum, ac manuum prius infeſtabat,ſurſum repulſus in partes nobiles,vitęq; neceſſarias cerebrum,cor,& hepar, impetum faciet:geminabitúrque malum,& pro vno capite hydræ duo renaſcentur. Adde ſi lubet,plethorẽ articulari paſsioni coniunctã eſſe. Tunc enim nullo ſillogiſmo miſsionem ſanguinis prętermittendam,colligere poteris. GAVT. Quæ vena tum incidenda? CAR. Rectè interrogas. Nam plurimi veterum conſilia non capientes, hîc falluntur. Dextro igitur crure,aut pede laborãte, interna cubiti ſed eiuſdem lateris ſecanda. Rurſus,manu dextra afflicta, poplitis aut malleoli dextri incidẽda.idq; morbo adhuc inchoante.hoc namque inueterato,ſecta vena qualibet,multo plus detrimenti quàm commodi adferes.Si autem bilis flaua,aut pituita copioſa,dolores articulorum excitat, purgatione potius, quàm phlebotome vſus fuerim:atra porrò bile in articulos defluente, ſcopis conſentientibus dicta vaſa incidito. De tumoribus autem præter naturam, qui ſcilicet hoc præſidium quærunt:qui que recuſant,quoniam Gale.copioſiſsimè tractauit ne vnum quidem verbum facere inſtitui.

*

Perſonæ.

CARVINVS, GAVTERVS.

CARVINVS.



HACTENVS mi Gautere, de ſanguinis eſſentia, diſtributione, artificioſa miſsione, medici hunc miſſuri prouidentia, medicinæ & aſtronomię neceſſaria ſocietate, cauſsis quoque ac morbis vnà cum vaſis vnde mittendus venit, in hoc tuo amœniſsimo hortulo diſſeruimus. Quam ob rem, vbi bonis auibus de ſanguine ſuſcepta diſputatio ibi melioribus fauẽte Deo, abſoluatur. GAVT. An aliquid ſupereſſe poteſt, quod ſui rationem medicum etiam prudentiſsimũ habere compellat? CAR. Iudicium emiſsi ſanguinis, omnium ferè quæ ſub artis medicæ contemplationem cadunt, difficilimum. Nam, remedia plurima inueniſſe, atque præparaſſe, quid prodeſt, ſi quibus morbis pellendis conferunt, iudicare nequis? GAVT. Sanguis (inſtar ſeminis teſte Galeno) extra propria vaſa cito corrumpitur, quo ergo pacto de hoc iudicare poſſumus? CAR. Galeni ſententiam recipio. Verùm, hoc ſucco quamuis corrupto ſenſibiles notæ relinquuntur, quibus prudens medicus internam morbi cauſſam in genere ſaltem venoſo mox deprehendet, atque ipſo tum viſu, tum tactu veriſsimè percipiet. Non enim ſolus purúſve ſanguis, ſed ceteris humoribus ſapienter contemperatus atq; permiſtus, in noſtris corporibus reperitur. GAVT. Has notas ediſſere quęſo. Nam earum cognititio, ad rectam pharmacorum inſtitutionem non parum emolumenti (mihi quidem) adferre videtur. CAR. Plurimùm profectò. Qua de re, ſi de ſanguine miſſo rectè iudicare cupis, dãda in primis opera, ne vaſis æneis (hęc enim ipſius calorem promptè vitiant) ſed terreis, vitreis, aut argẽteis, aut ſtanneis excipiatur. Deinde, modum fluentis huius ſucci attentè comtemplare. Qui enim lentè fluxit, inſtárque glutinis, aut picis liquidæ digitis adhæret: glutinoſus, & obſtructionum autor iudicãdus, potiſsimùm ſi citiſsimè coagulatur, plurimáſq; fibres oſtentat. Tum enim, non modò obſtructiones meatuũ, ſed etiam febres inde ortas adeſſe, rectè iudicabis. Contra, qui tenuis,

nuis est,tardius coalescit. Vnde non solùm tenuis,sed incoctus, & crudus est:necnon hepatis imbecillitatem ostendit. Præterea, non tantùm si tardè,aut cito coaluit sanguis,cõsiderandum, sed etiam si ne omnino quidem. Nam totus in aquosam substãtiam interdum vertitur:& iure optimo aquosus nuncupatur, etiam si putredinis vitio non sit destitutus. GAVT. Quo artificio hoc discrimen emissi cruoris pleniùs deprehendere licet? CAR. Ex ipsius fusione Crassus enim aut non funditur, aut saltem non facilè,verũ suas fibras retinet. Porrò, tenuis ista omnia promptissimè patitur. GAVT. Putris sanguis,seu crassus,aut glutinosus, seu tenuis,& aquosus fuerit,quibus notis discernitur? CAR. Hic vbi primùm tangitur,in partes totus dissilit. GAVT. Plurimùm aquosæ eiúsque citrinæ substantiæ misso sanguini supernatare sæpius vidi. Quid ergo super hoc sentiendum? CAR. Iudicabis talem sanguinem serosum esse,idque vitij vel potu largiore,vel hepatis imbecillitate:vel renum obstructione profectũ. Quamquam in corpore non desidero sanguinem hoc sero destitutum. Istud namque,vti primo & secũdo dialogo nostro probauimus, suas non cõtemnendas vtilitates operibus naturæ maximè commodas,atque necessarias obtinet. GAVT. Spumosus interdum prosilit sanguis. Quid ergo hac de spuma censendum? CAR. Spuma hæc quam dicis, interdum fluoris impetu exoritur, totámq; ipsius tegit superficiẽ. Est vbi moderatè, ac sensim fluente non minus conspicitur. GAVT. Tum quid facto opus erit,quo rectè iudicetur? CAR. Obserua spumæ colorem & nullo negocio si pituisus aut biliosus est, iudicabis. Nam prædominantis morbúmque fouentis humoris colorem ipsa referet,eiúsque inflammati,& accensi. Si igitur rubicunda,sanguis,si citrina, bilis flaua,si liuida, bilis atra, si verò alba fuerit, pituita principem locum tenet. GAVT. Si varicolor fuerit? CAR. Plures humores simul accensos demõstrat. Huius ergo discriminis ratio sollicitè habenda,quò nimirũ curatio rectè procedat. Color etiam dum fluit succus iste,dúmque refrigeratus est, intuendus. Qui namq; rubicũdus apparet,probatur,qui flauus liuidus,albus,aut pallidus, non cõmẽdatur,quòd flauus ille ac citrinus bilem flauam abundare,albus,ac pallidus pituitam dominari,liuidus autem,seu plumbeus humoris melãcholici copiam significet. Varij autem colores, varios quoque humores principatum tenere, demonstrant. GAVT. Vidi frequenter vnà cum sanguine pingue quiddam,& adiposum effluxisse: instárque telę aranæi con-

nexæ cruoris ſuperficiei inſediſſe. CAR. Recipio. GAVT. Quid de illo iudicas? CAR. Si totum corpus obeſum eſt, ac pingue, ex ipſius ſanguinis maſſa oriri non dubitaueris. Sin macilentum, & ſtrigoſum, colliquari humidum illud ſubſtantificum audenter iudicato. Neque ſatis eſſe putes, ſi tantùm quæ ſupra emiſsi cruoris maſſam apparent ſpectaueris, verùm, hac ipſa conuerſa, ſedulò quidnam fundo vaſculi reſideat, explorandũ. Nam, & arenulæ quædam interdum conſpiciuntur, quæ profectò ſanguinem coagulari non permittunt. GAVT. Quid illæ ſignificant? CAR. Elephantiaſin aut præſentem, aut proximam. GAVT. Sunt quibus fluens ſanguis fœtet. CAR. Omnes quibus id vitium accidit, putredinis maximæ cauſſa, periere. Verùm, priuſquam huic noſtro colloquio finem imponam, vnum hoc altiore mẽte reponi abs te poſtulauero: vt ſcilicet de ſanguine miſſo iudicaturus, hunc iam concretum in aquam tepentem coniicias, vt nimirum diuulſis ſubſtantiis, & abinuicem ſeparatis, penitiùs atque perfectiùs iudicare poſsis. Vt autem rem propemodum infinitam paucis contraham, hac in re quid ſentiam, paucis accipe. GAVT. Mentem aperi. CAR. Quiſquis de ſanguine ſecta vena miſſo rectè iudicaturus eſt, is in primis cõſiſtãtiam ipſius, deinde colorẽ, poſtremo contenta, oculis pluſquam linceis luſtret: atque circumſpiciat. Hæc ſunt chariſsimè Gautere, quæ de iudicio emiſsi ſanguinis tecum tractanda putaui. Si enim, ex ſuperioribus ſanguinis naturalis eſſentiam quiſpiam didicerit, nullo labore quantum à natura ſua defecerit, iudicare valebit. Ex his quippe, recti iudicij ratio pendet.

*

FINIS.

